



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis


Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. IX. De natura assumptibili & assumpta,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

consequentiam, & paritatem, Sol enim & alia causa universales continent effectus causarum inferiorum, eminentiâ imperfectâ, & se extendente solum ad rationem aliquam communem & genericam, puta rationem viventis, aut corporis corruptibilis: substantia verò terminans plures naturas, debet earum substantias eminenter continere, secundum proprias & distinctas earum rationes, quod nulli substantiæ creatæ competere potest; quia cum substantia sit terminus naturæ creatæ, non potest maiorem perfectionem habere, quàm natura à qua dimanat, ab illa enim habet determinatam speciem & perfectionem: unde sicut nulla natura creata eminenter continet aliarum naturarum perfectiones específicas & individuales; ita nec ulla substantia creata perfectionem alterius substantiæ eminenter continere valet, sed hoc proprium & peculiare est substantiæ & personalitati divinæ, quæ quia terminat naturam divinam, omnium naturarum perfectiones eminenter continet, omnium substantiarum creatarum & creabilium perfectiones eminenter continet, secundum proprias & distinctas earum rationes, & ex hoc redditur apta & potens ad terminandam quamcunque naturam creatam & creabilem.



DISPUTATIO IX.

De natura assumptibili & assumpta.

Ad quæst. 4. & 5. D. Thomæ.

Postquam egimus de extremo assumente, & potente assumere naturam creatam, superest ut extremum assumptum, & assumptibile contemplerur: de quo S. Doctor quæstione quartâ & quintâ.

ARTICULVS PRIMVS.

Utrum quælibet natura substantialis completa, sit assumptibilis à Divina Persona?

S. I.

Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.

Suppono primò, naturam substantialem completam dividi in purè spiritualementem, qualis est natura angelica, & in purè corpoream, qualis est natura brutorum, & vegetabilium, ac non viventium, & mixtam ex spiritali & corporea, qualis est natura hominis.

Suppono secundo ut indubitatum, naturam humanam esse assumptibilem à Persona Divina, fuit enim de facto assumpta, ut fide mysterij Incarnationis docemur. Unde solum potest esse difficultas de natura angelica, & de natura purè materiali & corporea, an scilicet utraque sit à Persona Divina assumptibilis: Circa quod tres versantur sententiæ. Prima negat posse naturam angelicam à Deo hypostaticè assumi. Hæc tribuitur Alberto magno in 3. dist. 2. art. 2. Secunda docet naturam irrationalem & purè corpoream non esse assumptibilem, etiam de potentia absoluta. Pro hac referuntur quidam antiqui, ut Alensis, D. Bonaventura, Henricus, quos secutus est Picus Mi-

randulanus in sua apologia, in defensione quartæ propositionis. Tertia tandem & communis sententia docet, non solum naturam humanam, verum etiam angelicam, & irrationalem, assumi posse à Divinis Personis. Unde

Dico primò: natura angelica assumptibilis est à persona divina.

Probant aliqui hanc conclusionem ex illo Apostoli ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*: cum enim (inquiunt) intentum Apostoli, iuxta communem Patrum doctrinam, sit charitatem Dei erga homines per hoc commendare, quod naturam humanam, non verò angelicam assumpsit, debet necessariò supponere possibilem fuisse naturæ angelicæ assumptionem; alias enim nullum omnino esset Apostoli argumentum, quia facile posset ei responderi, mirum non esse quod Deus relictâ naturâ angelicâ, humanam assumpsit, quandoquidem angelica non erat assumptibilis.

Verum licet hic discursus circa doctrinam Apostoli, efficaciter probet naturam Angeli potuisse saltem ad existentiam divinam assumi, non tamen efficaciter concludit, quod ad substantiam Dei assumi potuerit; sufficit enim ad commendandam charitatem Dei erga homines magis quàm erga Angelos, quod licet natura angelica, potuerit assumi ad divinam existentiam, eam tamen de facto ad illam non assumpsit Deus, bene tamen naturam humanam.

Probatur ergo efficacius nostra conclusio ex D. Thoma hic art. 1. ad 3. ubi postquam retulit opinionem quorundam Theologorum asserentium naturam angelicam non posse in unitatem divinæ personæ assumi, nisi destrueretur propria ejus personalitas, idque obviare ejus incorruptibilitati, impugnat hanc doctrinam dicendo quod hoc non videtur excludere totaliter congruitatem assumptionis naturæ angelicæ; *Potest enim Deus (inquit) producendo novam naturam angelicam, copulare eam sibi in unitatem personæ*. Ex quibus sic arguuntur: Naturam angelicam assumi in unitatem divinæ personæ, est eam assumi ad personalitatem sive ad substantiam divinam: Sed ex D. Thoma citato, potest natura Angeli assumi in unitatem divinæ personæ: Ergo & ad substantiam divinam.

Probatur secundo conclusio ratione fundamentali. Non aliâ ratione in natura humana est ad assumptionem capacitas, nisi quia distinguitur realiter à sua personalitate, & consequenter potest illâ vel destructâ, vel non respectâ, terminari per substantiam Verbi, in qua propria personalitas eminenter continetur: At etiam personalitas Angeli realiter ab illius natura distinguitur: Ergo etiam natura angelica ad divinam potest assumi substantiam. Major patet, Minor verò (præterquam expressè docetur à D. Thoma quodlib. 2. quæst. 2. art. 4.) potest breviter hac ratione suaderi. Ratio distinguendi suppositum à natura in hominibus, vel est limitatio naturæ, ob quam indiget complemento realiter distincto ut existat, vel est capacitas receptiva ut quod existentiæ & accidentium, competens immediatè supposito, & repugnans naturæ, ut asserit D. Thomas quodlibet citato: Sed utraque hæc ratio militat in natura angelica, est enim limitata & finita, ac incapax recipiendi ut quod existentiam & accidentia, supposito quod hæc incapacitas naturæ humanæ conveniat: Ergo eadem ratione quâ

quā in homine suppositum realiter à natura distinguitur, in Angelis etiam debet realiter à natura differre.

7. Confirmatur: Quoad distinctionem realem existentiae ab essentia, potentiarum à natura, & operationis à principio, nullum est discrimen inter Angelum & hominem, ut in Tractatu de Angelis ostensum est: Ergo nec admittendum est quoad distinctionem personalitatis à natura.

Dico secundo: natura irrationalis completa, potest de potentia absoluta uniri hypostaticè Deo, & ab ipso assumi in unitatem suppositi.

8. Probatur primò autoritatibus Patrum, Gregorij Nysseni orat. catechetica cap. 27. asserentis omnes naturas esse ejusdem rationis quoad assumptionem, & differentiam unius ab alia, nullius esse momenti in ordine ad divinam omnipotentiam. Augustini libro de vera relig. cap. 19. asserentis Verbum Divinum potuisse assumere aliquod corpus aethereum, nostro visui accommodatum. Tertulliani libro de carne Christi cap. 4. dicentis Verbum Divinum potuisse prodire de vacca aut suæ, si voluisset; ita ut hoc tantum sit turpe & indignum Deo, si de nostro sensu judicemus Deum, non verò ex rei veritate.

9. Probatur secundo ratione: Naturam irrationalem assumi ad divinam substantiam, non repugnat, neque ex parte ipsius naturæ, utpote æquè separabilis à propria substantia ac natura humana & angelica: neque ex parte Divinæ Personæ, utpote habentis vim infinitam in ratione terminandi: Ergo potest talis natura ad substantiam divinam assumi.

10. Dices, repugnantiam assumptionis talis naturæ peti ex ejus indecentia, indecens enim ac indecorum Deo videtur, naturam irrationalem in concreto de ipso prædicari, illumque belluam, equum, aut suem denominari.

Sed contra primò: Licet Deum assumere naturam irrationalem sit indecens negativè, & comparativè; id est minus decens quam quod naturam rationalem assumat, id tamen positivè & absolute indecens esse, nulla ratione probari potest: Sed hoc secundo modo indecens esse debebat, ut repugnaret de potentia absoluta: Ergo titulo indecentiæ non repugnat absolute, quod Deus naturam irrationalem assumat.

Secundo, In nobis ductum rationis sine fidei regula sequentibus, indecens majestati divinæ appareret, Verbum nostram carnem assumere, flagellari, conspui, & mori; & tamen indecens verè non est, nec divinæ majestati repugnans: Ergo quamvis nobis indecens appareat, Deum naturam irrationalem assumere, tamen indecens verè non esset, si Deus id facere decrevisset.

Tertiò, Corpus quod in triduo unitum Verbo remansit, irrationale & insensibile fuit, & tamen in tali unionem nulla indecentia invenitur: Ergo in unionem cum natura irrationali, nulla datur indecentia Dei majestati repugnans.

11. Hinc deducitur alia ratio, eaque efficacissima, pro nostra conclusione: Nam corpus Christi post mortem mansit in sepulchro, Verbo Divino hypostaticè unitum: Sed tale corpus post mortem fuit naturæ irrationalis: Ergo natura irrationalis est capax unionis hypostaticæ. Minor patet, nam corpus Christi in sepulchro non erat naturæ viventis: Ergo nec sensibilis, nec rationalis. Major verò suadetur primò ex illo communi axiomate, asserente Verbum nunquam dimisisse quod semel assumpsit, quod quantum ad partes principa-

Tom. IV.

les omnes admittunt: Ergo corpus quod est una ex partibus principalibus naturæ humanæ, nunquam fuit à Verbo dimissum, subindeque illi unitum mansit in sepulchro. Secundo, de fide est Christum pro nobis sepultum fuisse, ut constat ex illis verbis Symboli, *Passus & sepultus est*: Sed hoc verum esse non potest, nisi Verbum ut hypostaticè unitum alicui ex partibus naturæ humanæ, fuerit in sepulchro: Ergo Verbum hypostaticè unitum alicui humanæ naturæ parti, mansit in sepulchro: Sed non ut unitum animæ, nam sic descendit ad inferos: Ergo ut unitum hypostaticè corpori.

Respondent Adversarij, quod licet corpus Christi in triduo, actu rationalis naturæ non esset, dicebat tamen ordinem ad animam rationalem, sicque erat in potentia pars rationalis naturæ, & ex hoc capax unionis hypostaticæ cum Verbo: natura verò irrationalis, de qua est questio, nec actu, nec in potentia est pars rationalis naturæ, & idcirco incapax est assumptionis.

Sed contra primò: Falsum est corpus Christi mortuum dicere ordinem ad animam rationalem, cum enim reitio animæ cum corpore, supernaturalis sit, non potest à corpore separato ab anima exigi: Ergo sine tali ordine salvatur assumptibilitas à Persona Divina, subindeque natura irrationalis, ordinem ad naturam rationalem non dicens, assumptibilis erit à Deo.

Secundo, Esto demus materiam corporis Christi, Verbo unitam in sepulchro post mortem, ordinem dicere ad animam rationalem; compositum tamen ex materia & forma cadaveris, talem ordinem non dicit: Sed hoc compositum fuit unitum hypostaticè Verbo in sepulchro: Ergo irrationalis natura ordinem ad rationalem non dicens, capax est unionis hypostaticæ cum Verbo. Major est certa, nam composito ex materia & forma cadaveris repugnat unio cum anima rationali, alias idem corpus esse posset simul vivens & simul mortuum, quod implicat: Ergo in tali composito non datur ordo ad animam rationalem, nec ad rationalem naturam. Minor autem sic ostenditur: Materia sola non mansit unita Verbo post mortem, tum quia in veriori sententia implicat materiam existere sine forma: tum etiam quia saltem sine miraculo materia nequit existere separata ab omni forma: non sunt autem multiplicanda miracula sine necessitate, & urgentissimo fundamento, quod in præfenti non reperitur: Ergo materia mansit unita Verbo sub aliqua forma substantiali: Sed non sub alia quam forma cadaveris: Ergo compositum ex materia & forma cadaveris fuit unitum hypostaticè Verbo in sepulchro.

Confirmatur: Corpus Christi post mortem fuit ejusdem rationis cum corporibus aliorum hominum post separationem animæ, tum quia ad oppositum asserendum, nullum adest fundamentum; tum etiam quia corpus Christi viventis est ejusdem rationis cum corporibus aliorum hominum, & consequenter idem asserendum est de corpore Christi mortui, ac de corporibus aliorum hominum post mortem: Sed corpora aliorum hominum, facta separationem animæ rationalis ab illis, sunt composita ex materia & forma cadaveris: Ergo corpus Christi post mortem est etiam ex materia & forma cadaveris compositum; & consequenter compositum coalescens ex materia & forma cadaveris, fuit unitum hypostaticè Verbo, subindeque natura irrationalis ordinem ad animam rationalem non dicens, assumptibilis est à Deo.

Sff

16. Dices, quod licet huic composito, ratione formæ repugnet ordo ad animam rationalem, & esse partem rationalis naturæ, materia tamen illius potest cum anima rationali, naturam rationalem componere; & hoc sufficere ut compositum ex materia, & illa forma, capax sit unionis hypostaticæ cum Verbo.
17. Sed contra: Etiam equi materia & cuiusvis alterius irrationalis naturæ, denudata a propria forma, potest uniri cum anima rationali, & illi unita componere naturam rationalem; cum materia sublunarium sit quantum est de se ad omnem sublunarem formam indifferens, & potens illam recipere: Ergo si compositum ex materia & forma cadaveris, capax redditur assumptionis à Verbo, & unionis hypostaticæ cum illo, ratione materiæ potentis cum anima rationali componere naturam rationalem, in omni natura irrationali erit capacitas ad unionem hypostaticam cum Verbo, aut alia Persona Divina.

§. II.

Præcipua objectiones solvuntur.

18. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: In Angelis non distinguitur realiter personalitas à natura: Sed sublata reali distinctione personalitatis à natura, illa assumptibilis non est: Ergo natura angelica ad divinam non potest assumi personalitatem. Minor patet ex suprâ dictis, Major verò suadetur ex D. Thoma 1. p. quæst. 3. art. 3. ubi docet in substantiis separatis ac simplicibus, seu ex materia & forma non compositis, suppositum non distingui à natura: Sed Angeli sunt substantiæ simplices & compositionis ex materia & forma expertes: Ergo in ipsis suppositum non distinguitur realiter à natura. Unde idem S. Doctor 4. contra Gent. cap. 55. probat convenientius fuisse Verbum assumere naturam humanam, quam angelicam, quia assumptio naturæ à Deo est in persona, non in natura: in homine autem aliud est natura, aliud persona, quia est ex materia & forma compositus, non autem in Angelo qui immaterialis est.
19. Respondeo negando Majorem, ad cujus probationem dicendum, suppositum posse dupliciter sumi, nempe pro substantia individua omnino incommunicabili, seu pro composito ex natura & substantia, quod suppositum metaphysicum seu formale appellatur; & pro individuo naturæ, quod dicitur suppositum logicum, seu radicale, quia natura individua & singularis, est radix & fundamentum substantiæ & personalitatis. Cum ergo S. Doctor locis citatis asserit in substantiis spiritualibus non distingui suppositum à natura, non loquitur de supposito in prima, sed secunda acceptione, id est de individuo, quod in Angelis non distinguitur à natura; quia in natura angelica non est aliud principium radicale à quo desumatur gradus specificus, & aliud à quo sumatur singularitas, sicut in rebus corporeis, in quibus ratio specifica sumitur à forma, & singularitas à materia, signatâ quantitate. Ita Cajetanus, Medina, Alvarez, Nazarius, Cipullus, & communiter nostri Thomistæ S. Doctorem interpretantur.
20. Verum licet hæc interpretatio legitima sit, illi tamen obstat videri primò, quod S. Thomas locis citatis asserat formas spirituales completas, quia individuantur seipsis, esse supposita substantia: nam suppositum subsistens, est suppositum meta-

A physice sumptum, seu substantia individua omnino incommunicabilis: Ergo Doctor sanctus locis citatis, suppositum metaphysice non logicè usurpat, & nomine suppositi non individuum naturæ, sed substantiam ultimò terminatam, completam, & incommunicabilem intelligit.

Secundò, ex non distinctione suppositi à natura in Angelis, infert D. Thomas naturam humanam esse magis assumptibilem à Verbo, quam angelicam: Sed si personalitas à natura angelica realiter distingueretur, quamvis singularitas non distingueretur ab illa, inepta esset hæc illatio, cum assumptibilitati naturæ non repugnet singularitas, sed subsistentia vel personalitas: Ergo prædicta interpretatio menti D. Thomæ non congruit.

Tertiò, D. Thomas locis citatis discrimen statuit inter simplicia & composita, quoad hoc quod est suppositum distingui à natura: Sed si nomine suppositi intelligeret individuum, tale discrimen non subsisteret: Ergo &c. Sequela Minoris probatur: Individuatio in homine non distinguitur realiter à natura: Ergo si nomine suppositi intelligatur individuum, falsò D. Thomas assereret in compositis ex materia & forma suppositum realiter distingui à natura, secus autem in simplicibus, & consequenter non subsisteret discrimen ab illo statutum inter simplicia & composita.

C Verum licet hæc difficulta & urgentia sint, veritatem tamen prædictæ solutionis, seu interpretationis, si rectè intelligatur, nequaquam præjudicant. Ad primum enim respondeo primò, formas separatas à materia esse supposita substantia, sumptâ substantiâ pro irreceptibilitate in materia, & incommunicabilitate alteri individuo, non autem sumptâ substantiâ pro perfectitate incommunicabilitatis alteri tanquam supposito; hæc enim cum nulla natura creata potest identificari, ut ex D. Thoma vidimus. Vel secundò dici potest, formas separatas à materia, esse per se ipsas supposita substantia ut quo & radicaliter, non autem ut quod & formaliter; quia natura, non subsistit ut quo, nec (ut ita loquar) radicat substantiam, nisi ut individua; est autem hæc differentia inter formas separatas, & illas quæ receptibiles sunt in materia, quod formæ separatæ seipsis individuantur, formæ verò receptibiles, per materiam signatam quantitate, ut suprâ dicebamus; & idè formæ separatæ seipsis subsistunt ut quo, & seipsis substantiam, ut ita dicam, radicant: formæ verò receptibiles, nec radicant substantiam, nec ut quo subsistunt seipsis, sed per aliquid ab illis distinctum.

D Ad secundum nego sequelam Minoris: cum enim identitas substantiæ cum natura obstat assumptibilitati, quo major est, magis obstat; & quo minor, obstat minis; quia ergo in Angelis, etsi substantia sumpta formaliter, distinguitur à natura; sumpta tamen in radice, non distinguitur ab illa: in homine verò, utpote ex materia & forma composito, personalitas tam formaliter quam radicaliter sumpta, à natura distinguitur, rectè infert S. Doctor naturam humanam magis assumptibilem esse quam angelicam; etsi tam in Angelis quam in hominibus, substantia seu personalitas, formaliter sumpta, realiter distinguitur à natura.

E Ad tertium nego etiam sequelam Minoris, & ad illius probationem, distinguo Antecedens: Individuum in homine non distinguitur realiter

à natura, pro formali individuacionis, concedo Antecedens : pro radice, nego Antecedens, & Consequentiam. Nam etsi in compositis ex materia & forma individuum formaliter sumptum identificetur realiter cum natura, quia tamen radix & fundamentum illius est materia signata quantitate, & hæc realiter à natura distinguitur, fit quod individuatio radicaliter sumpta in illis realiter differat à natura; in simplicibus verò non ita, quia in illis principium individuacionis non sumitur ab aliquo intrinseco, nec ab aliquo realiter ab eorum natura distincto, sed naturæ illorum seipsis individuatur, quia sunt formæ per se subsistentes, & irreceptibiles in materia.

26. Obijcies secundò contra primam & secundam conclusionem: D. Thomas hic quæst. 4. art. 1. corpus articuli sic concludit: *Vnde relinquitur quod sola natura humana sit assumptibilis*: Ergo juxta doctrinam D. Thomæ, neque natura angelica, neque natura irrationalis, assumptibiles sunt, particula enim exclusiva *solum*, alias naturas videtur ab assumptibilitate excludere.

27. Respondeo D. Thomam ibi loqui de assumptibilitate secundum congruentiam, quæ quidem naturæ humanæ perfectè competit, non verò angelicæ, aut irrationali: nam ut egregiè ibidem discitur idem S. Doctor, in natura assumptibili triplex repetiri potest congruentia, nempe dignitatis, necessitatis, & universalitatis, seu extensionis; nulla verò ex his tribus congruentiis in natura irrationali invenitur, cum illa nec intellectualis sit, nec indigeat redemptione, nec omnes gradus universi in ea reperiuntur: in natura autem angelica reperitur quidem congruentia dignitatis, cum in linea intellectuali perfectissima sit, sed illi deest congruentia necessitatis, cum peccatum Angeli irremissibile sit, & congruentia universalitatis, seu extensionis, cum in eo solus gradus intellectualis reperiatur: in homine verò omnes inveniuntur, cum natura humana & intellectualis sit, & redemptionis capax & indigens, atque in homine omnes gradus universi quodammodo contineantur; intelligit enim cum Angelis, vivit cum plantis, sentit cum animalibus, & existit cum lapidibus & alijs inanimatis: unde assumpto homine, quodammodo totum universum assumitur, sicut evangelium omni creaturæ quodammodo prædicatur, cum homini annuntiatur, ut ait Gregorius magnus homil. 29. in Evang. explicans illa verba Christi ad Discipulos, *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. De quo plura diximus disp. 3. art. 1. conclus. 1. & 3.

28. Obijcies tertio contra secundam conclusionem: Quod dedecet Deum, non est possibile: Sed assumere naturam irrationalem ad divinam subsistentiam, v. g. naturam equi, dedecet Deum: Ergo est impossibile. Major est D. Anselmi lib. 2. cur Deus homo cap. 4. & 5. & ratio est quia operari aliquid indecens, non est prudentis & sapientis. Minor verò probatur ex indecentissima communicatione idiomatum quæ sequeretur ex tali assumptione: sicut enim ex assumptione naturæ humanæ, inter Deum & hominem fit talis communicatio idiomatum, ratione cujus dicitur de Deo quod sit homo & risibilis; ita ex assumptione naturæ equi, sequeretur dici posse de Deo quod esset equus & hinnibilis.

29. Respondeo negando Minorem, Deus enim assumendo naturam irrationalem equi v. g. sapienter & prudenter id præstaret, quia illi non

Tom. IV.

A deessent motiva ad id faciendum sufficientia, scilicet vel ad superbiam humanam confundendam (sic ut ad confundendam superbiam Luciferi & malorum Angelorum assumpsit naturam humanam) vel ad ostendendum suam potentiam. Ad probationem in contrarium dicendum quod sicut nulla est indecentia in eo quod Deus, assumptæ naturæ humanæ, dicatur homo, passibilis, & mortalis, ac mortuus, passus, & crucifixus: ita neque quod assumptæ naturæ equi, diceretur equus, & hinnibilis. Sanè cum à natura divina (ut optimè argumentatur Nyssenus paragrapho præcedenti citatus) ex æquo distet omnis creatura, si esset indecens Deo naturæ irrationalis assumptio, dedeceret similiter ipsum naturam humanam assumpsisse. Monet tamen prudenter Cajetanus, quod licet Deus absque ullo suæ majestatis dedecore, vilissimis etiam creaturis hypostaticè uniri possit, abstinendum tamen est à descensu in particulari, propter periculum infirmitatis nostræ.

B Obijcies quartò: Natura quæ non potest elevari ad videndum Deum, & ipsum amandum, nequit ad esse subsistentiæ ipsius assumi: Sed natura irrationalis non potest elevari ad videndum Deum, & ipsum amandum; aliis enim eo ipso fieret rationalis, siue intellectualis: Ergo nec ad subsistendum subsistentiæ divinæ. Major probatur primò, operari sequitur ad esse, juxta ipsius proportionem: Ergo ad esse divinum, consequitur operari divinum, & consequenter natura incapax elevationis ad operari divinum, quale est Deum videre, & ipsum amare, erit etiam incapax assumptionis ad divinum esse.

C Secundò, Quod ad minus non est potens, à fortiori ad majus est impotens: Sed majus est naturam creatam assumi à Deo ad subsistendum divinæ subsistentiæ, quam ad videndum & amandum Deum, ut docet expressè D. Thomas hic art. 1. ad 2. dicens: *Major & perfectior est unio ad Deum secundum esse personale, quam quæ est secundum operationem*: Ergo natura quæ non potest elevari ad videndum Deum, & ipsum amandum, nequit ad esse subsistentiæ ipsius assumi.

D Respondeo negando Majorem, cujus falsitas cõspicitur ex corpore Christi in triduo, quod mansit unitum Verbo, & tamen erat incapax elevationis ad videndum Deum & ipsum amandum, aliasque operationes divinas exercendas. Unde ad primam probationem dicendum, quod operari sequitur ad esse essentiæ, vel ad esse formale, tanquam ad principium quo: quare juxta illius proportionem consequitur operatio, vel naturalis, si esse naturale sit, vel supernaturalis, si esse sit supernaturale: ad esse autem personale non sequitur operatio, sed tantum ut conditio ad operationem se habet: unde si esse vel natura quam subsistentia modificat, non supernaturalis, sed naturalis est, non consequitur operatio supernaturalis, sed naturalis, sustentata mediè à subsistentia supernaturali, à qua ipsa natura immediè sustentatur.

E Ad secundam probationem, distinguo Majorem: Si majus & minus ejusdem ordinis sint, vel unum in alio includatur, vel unum aliud necessario supponat, concedo Majorem. Si diversi ordinis sint, & nullatenus subordinata, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam licet videre Deum, minus sit quam hypostaticè ipsi uniri, non tamen sunt ejusdem ordinis, nec ordinatè se habent, & ideo ex incapacitate ad visionem quæ minus bonum est, non rectè colligitur incapacitas ad unionem.

555 ij

nem hypostaticam quæ est majus bonum: sicut volare minus bonum est, quam intelligere, & tamen cum incapacitate ad volandum, stat capacitas ad intelligendum in homine.

34. Objicies quintò: Natura incapax sanctitatis, est etiam incapax unionis hypostaticæ cum Deo: Sed natura irrationalis, sanctitatis capax non est: Ergo etiam incapax est unionis hypostaticæ cum Deo. Minor pater, Major verò probatur. Subiectum incapax effectus formalis formæ, est etiam incapax formæ: Sed unio hypostatica cum Deo habet pro effectu formali sanctificationem naturæ quæ ipsi conjungitur: Ergo natura incapax sanctificationis, est etiam incapax unionis hypostaticæ cum Deo.

35. Respondeo negando Majorem, ad cujus probationem, distinguo Majorem: Subiectum incapax effectus formalis primarij, est etiam incapax formæ, concedo Majorem. Subiectum incapax effectus formalis secundarij, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Stat ergo capacitas subiecti ad formam, cum incapacitate ad effectum formalem secundarium, ut constat in anima Christi capaci gratiæ habitualis, quæ tamen incapax est filiationis adoptivæ, quæ à gratia habituali præstatur: unde cum persona divina unita naturæ creatæ, non habeat pro effectu formali primario, illam gratiam & sanctam constituere, sed illam reddere subsistentem, natura capax istius effectus vel quasi effectus formalis, est incapax fit sanctitatis, capax est unionis hypostaticæ cum Deo.

36. Pro completa hujus difficultatis intelligentia, observandum est, quod si persona divina assumeret naturam irrationalem, non uniretur illi in ratione personæ, sed solum in ratione hypostasis; quia natura irrationalis personalitatis capax non est, cum personalitas non reperiatur nisi in rationali natura, ut patet ex definitione personæ, quæ definitur *rationalis naturæ individua substantia*.

ARTICVLVS II.

An etiam substantia incompleta & partialis, sit assumptibilis à Divina Persona?

Quatuor sub hoc titulo involvuntur difficultates breviter hic resolvendæ. Prima est, an materia prima sine forma substantiali ad divinam subsistentiam assumi possit? Secunda, an forma corruptibilis & materialis, separata à materia, possit uniri hypostaticè Deo, seu ad divinam subsistentiam & existentiam assumi? Tertia, an anima rationalis à corpore separata, sit à Deo assumptibilis? Quarta, an partes integrales, puta manus, caput, brachium, quandiu sunt unitæ toti composito, possint assumi, non assumpto ipso composito?

§. I.

Prima difficultas resolvitur, & materiam primam sine forma substantiali non posse assumi ad divinam subsistentiam probatur.

37. Ideo primò: implicat materiam primam assumi ad divinam subsistentiam sine forma substantiali. Ita contra Suarem, aliosque Recentiores, communiter docent Thomistæ, excepto Banne, qui i. p. quæst. 66. art. 1. dubio 2. oppositam sententiam ut probabilem amplexus est.

A Probatur conclusio ratione fundametalis ex principiis Philosophiæ Thomisticæ desumpta: Ut enim cum S. Doctore i. p. quæst. 66. art. 1. quæst. 4. de potentia art. 1. & quodlib. 3. art. 1. docent omnes ejus Discipuli, implicat materiam primam existere sine forma: Sed quod implicat existere, etiam implicat subsistere: Ergo implicat materiam primam subsistere sine forma substantiali, & consequenter implicat quod sine ulla forma assumatur ad divinam subsistentiam. Minor cum utraque consequentia patet, Major autem probati solet à nostris Thomistis in physica ex eo quod materia prima est pura potentia, ideòque essentialiter improporionata ut participet actum ultimum, qualis est existentia, nisi mediante formâ.

B Responder Bannez ubi suprâ, quod etsi repugnet materiam primam sine forma substantiali actuari per existentiam creatam, quia hæc est effectus formæ substantialis, non tamen implicat quod sine forma substantiali existat per existentiam divinam, quæ cum effectus formæ substantialis non sit, non est cur essentialiter eam supponat, ut communicetur materiæ: sufficit autem quod materia prima sine forma substantiali possit existere per existentiam divinam, ut sine illa possit per divinam subsistentiam subsistere.

C Sed contra primò: D. Thomas infra quæst. 6. art. 1. docet Verbum assumpsisse carnem mediantem animâ: Ergo sentit materiam primam non solum in existendo per existentiam creatam, sed etiam in existendo per existentiam divinam dependere à forma substantiali, & consequenter sicut juxta D. Thomam materia prima sine forma substantiali non potest de potentia absoluta existere per existentiam creatam, ita nec per divinam & increatam.

Secundò, Quod materia sine forma nequeat existere, non provenit ex eo quod existentia sit effectus secundarius formæ substantialis, sed quia est pura potentia, ac per consequens essentialiter improporionata ut participet actum ultimum, qualis est existentia, nisi mediante formâ, ut suprâ dicebamus: At hæc ratio non minus militat respectu existentie divinæ, quam respectu existentie creatæ: Ergo sicut implicat materiam primam sine forma substantiali actuari per existentiam creatam, ita repugnat sine illa existere per divinam.

Dices, Esto repugnet materiam primam, omni formâ substantiali denudatam, existere per existentiam increatam, non repugnat tamen quod ipsa, ut formæ substantiali conjuncta, per existentiam increatam existat, formâ existente per existentiam creatam: Ergo poterit assumi ad subsistendum subsistentiâ divinâ, formâ substantiali ad eandem subsistentiam non assumptâ.

E Sed contra: Nulla pars actu aliis partibus unita, potest assumi ad divinam subsistentiam, aliis partibus non assumptis; quia nimirum non potest assumi ad divinam subsistentiam, nisi ratione totius prius subsistentis per illam, ut paragrafo 1. dicemus: Ergo si materia prima ab omni forma separata, assumi nequeat ad divinam subsistentiam, nullatenus ad eam assumi poterit, ipsâ formâ non assumptâ.

Argumenta quæ Suarez & alij Recentiores contra hanc conclusionem opponunt, sumuntur ex eo quod materia prima potest sine forma existere & subsistere, de potentia absoluta, subindeque ad subsistentiam divinam, etiam sine forma, assumi. Verum cum hæc difficultatem merè philosophicam tangant, hic prætermittuntur, ne in quæstionibus philosophicis immoremur.

44. Bannez verò loco citato in favorem suæ sententiæ sic arguit primò: De facto existentia divina ob suam infinitatem est communicata humanitati Christi, sine receptione in illa, terminando dependentiam quam humanitas à propria existentia haberet: Ergo poterit etiam uniri materiæ primæ, illamque existentem reddere.

Secundò, Personalitas Verbi complet dependentiam quam humanitas haberet à personalitate finita, nisi à Deo assumeretur: Ergo potest complere dependentiam quam materia habet à forma substantiali quantum ad existendum, subindeque illam reddere existentem sine forma.

Tertiò, Divina essentia, quia est infinita in linea intelligibili, supplet respectu intellectus vicem formæ intelligibilis in ordine ad intellectiorem: Ergo cum etiam sit infinita in linea existentia, potest respectu materiæ vicem formæ supplere in ordine ad existendum.

45. Hæc tamen parum urgent, & facile dilui possunt. Ad primum enim, concessio Antecedente, distinguo Consequens: Ergo poterit uniri materiæ primæ, sine forma, nego Consequentiam: unitæ formæ substantiali, concedo Consequentiam. Quod autem sine forma non possit materia prima existere per existentiam divinam, non provenit ex limitatione existentia, vel subsistentia divinæ, sed quia materia sine forma est incapax existendi, ut docet D. Thomas locis supra citatis.

Ad secundum, concessio Antecedente, nego Consequentiam, nam etsi ex illo antecedente sequatur posse Deum supplere dependentiam materiæ à subsistentia creata, quia in hoc nulla imperfectio physicè informationis involvitur, ex illo tamen inferri nequit, Deum posse supplere dependentiam quam materia habet à forma in ordine ad existendum, quia talis dependentia sine physica informatione suppleri nequit.

Ad tertium, nego etiam Consequentiam, & paritatem; nam licet essentia divina possit absque informatione gerere munus speciei, respectu intellectus beati, in ordine ad visionem beatificam, ut in Tractatu de visione beata fuisse declaravimus: non potest tamen absque imperfectioe informationis, respectu materiæ, vicem formæ supplere in ordine ad existendum.

§. II.

Secunda & tertia difficultas, de animarationali separata à corpore, & de forma corruptibili à materia separata, breviter resolvuntur.

46. Dico secundò: animam rationalem à corpore separatam, esse unibilem Deo & ab ipso assumptibilem.

Probatum breviter: Animæ rationali hoc speciale & proprium est, quod cum producat à solo Deo per creationem, habet subsistentiam & existentiam sibi propriam, per quam subsistit & existit ut quod, saltem quando est separata à corpore: Ergo poterit persona divina assumere animam rationalem separatam à corpore, destruendo propriam subsistentiam & existentiam connaturalem, & loco illius substituendo subsistentiam & existentiam divinam & increatam. Vel etiam potest Deus creare animam rationalem, & impedire ne ab illa resulet propria existentia & subsistentia, ut loco illius subrogetur personalitas & existentia divina.

Confirmatur: De fide est animam Christi mag-

A fuisse in triduo Verbo Divino unitam, & subsistentem per subsistentiam divinam: Ergo anima rationalis à corpore separata, est unibilis Deo, & ab ipso assumptibilis.

Dices, Unio substantialis cum Deo, aut est in unitatem personæ, aut in unitatem suppositi? Sed nullo ex his modis potest anima rationalis Deo uniri: Ergo non est ab illo assumptibilis. Major videtur certa, quia alius modus unionis cum Deo in ratione subsistentis, non est huc usque assignatus. Minor verò probatur. Persona est rationalis naturæ individua substantia, & suppositum individua substantia naturæ substantialis: Sed anima rationalis natura non est: Ergo Verbum, ut in illa subsistens, nec suppositum, nec persona esse potest.

B Respondeo primò, unionem animæ rationalis cum Deo esse in unitatem personæ, non adæquatè & completè, sed inadæquatè & incompletè, eò quod anima rationalis non sit adæquatè, sed inadæquatè natura.

Vel secundò responderi potest, esse unionem cum Deo in unitatem subsistentia, quæ unitas suppositi vel personæ non sit, ex defectu completionis: Sicut etiam datur, in probabiliori sententia, subsistens absolutum in Deo, quod suppositum non est, nec persona, quia communicabile.

C Dico tertiò: Satis probabile est, formas corporeas & materiales posse supernaturaliter conservari, & existere separatas à materia, subindeque assumi à Deo. Ita Medina, Alvarez, Cipullus, & alij ex nostris Thomistis, contra Cabreram & Nazarium.

Probatum: Hujusmodi formæ non magis videntur dependere in esse & conservari à materia in qua recipiuntur, quam accidentia à subiecto à quo sustentantur: Ergo sicut accidentia possunt divinitus separari à subiecto, & recipere aliquem modum per se existendi, ut patet in quantitate panis in Sacramento Eucharistiæ: Ita etiam formæ materiales & corporeæ, licet dependant connaturaliter à materia in esse & conservari, poterunt tamen supernaturaliter ab illa separari, & recipere modum aliquem subsistendi, similem illi quem habebant quandiu erant unitæ materiæ; subindeque hujusmodi formæ corporeæ, separatæ divinitus à materia, poterunt Deo hypostaticè uniri, quia subsistentia divina poterit supplere talem modum subsistendi, quem possunt à Deo recipere, cum illum eminenter contineat.

Dices primò: D. Thomas 1. part. quæst. 70. art. 2. 3. & 6. hoc discrimen inter animam rationalem & formas corporeas statuit, quod illa est per se subsistens, secus autem aliæ formæ: Sed si formæ corporeæ à materia separatæ possent subsistere ut quod, non staret hæc differentia: Ergo formæ substantiales corporeæ separatæ à materia, non sunt capaces subsistendi ut quod, nec per consequens possunt assumi à Deo, & per ejus subsistentiam subsistere. Major patet, sequela verò Minoris probatur. Anima rationalis conjuncta corpori, solum subsistit ut quo, separata autem subsistit ut quod: Sed forma corporea in statu conjunctionis subsistit ut quo, est enim corpori ratio existendi & subsistendi: Ergo si separata potest subsistere ut quod, nullum erit inter illam & animam rationalem discrimen.

E Respondeo, concessa Majori, negando sequelam Minoris: Tum quia (ut plures D. Thomæ Discipuli probabiliter docent) anima rationalis corpori conjuncta, non solum subsistit ut quo, sed

511
S f f iij

etiam ut quod immediatè, quod formæ corporeæ non convenit. Tum etiam quia (esto anima rationalis conjuncta corpori, tantum subsistat ut quo) est tamen, etiam ut materiæ conjuncta, independens ab illa quoad esse; forma autem corporea, conjuncta materiæ, ab illa quoad esse dependet. Præterea, quod anima rationalis subsistat ut quod à corpore separata, ei convenit adæquatè ab intrinseco, secus autem formæ corporeæ: Cum enim subsistentia ipsi conveniat solum ex suppositione conservationis in statu separationis, & talis conservatio non ab intrinseco, sed ab extrinseco solum, & præter illius exigentiam ei conveniat, etiam subsistere ut quod in statu separationis, non ab intrinseco, sed solum ab extrinseco, & præter illius exigentiam, ipsi competit; & ita semper subsistit discrimen à D. Thoma assignatum inter formam corpoream, & animam rationalem.

52. Dices secundo: Esto forma substantialis corporea, possit divinitus à materia separari, & sic separata subsistere, tamen in tali statu non potest subsistere per subsistentiam totalem, sed duntaxat partialem: At divina personalitas non potest supplere vices subsistentiæ partialis: Ergo nequit reddere subsistentem formam substantialem corpoream à materia separatam. Minor patet, Deus enim non potest supplere vices partis, cum de ratione partis sit esse quid incompletum & imperfectum. Major etiam videtur manifesta, nam subsistentia consequens ad entitatem partialem, qualis est forma separata à materia, non potest esse totalis, sed duntaxat partialis.

53. Respondeo primò, negando Majorem: Sicut enim subsistentia quæ anima rationalis à corpore separata subsistit, quamvis sit subsistentia entitatis partialis, non est subsistentia partialis, quia ad hoc requirebatur, quod posset cum alia subsistentia componere subsistentiam totalem: Ita subsistentia quæ subsisteret forma corporea à materia separata, quamvis esset subsistentia entitatis partialis, non esset tamen subsistentia partialis, quia non posset cum alia subsistentia componere subsistentiam totalem.

54. Secundo responderi potest, datà Majori, distinguendo Minorem: Divina personalitas non potest vices gerere subsistentiæ partialis, quantum ad rationem partis, concedo Minorem. Quoad rationem subsistentiæ, sine imperfectione partis, nego Minorem, & Consequentiam. Sicut enim Deus uniri potest animæ rationali à corpore separata, & de facto Verbum Divinum illi in triduo hypostaticè fuit unitum, & anima Christi fuit subsistens subsistentiæ Verbi, etsi (ut plures extra Scholam Divi Thomæ existimant) anima ratione sui subsistat subsistentiæ partiali. Ita quamvis subsistentia formæ corruptibilis, separata à materia, partialis sit, poterit hac subsistentiæ privari, & loco illius subsistentiæ Verbi subsistere; non ita ut subsistentia Verbi induat rationem subsistentiæ partialis, sed ita ut totum munus subsistentiæ obeat, sine imperfectione partialitatis.

§. III.

Ultima difficultas resolvitur.

Deo ultimò: partes integrales, putà manus, caput, brachium, quandiu sunt inter se, & toti composito unitæ, non possunt assumi, nisi assumatur compositum; si tamen separantur à to-

to, possunt assumi, etiam illo non assumpto.

Prima pars probatur: Hujusmodi partes subsistunt & existunt per subsistentiam & existentiam totius; quia ut demonstrant nostri Thomistæ in Philosophia, non dantur subsistentiæ & existentia partiales: unde ut subsistentia & existentia divina suppleant vices subsistentiæ propriæ & connaturalis illarum partium, debent etiam supplere vices subsistentiæ & existentia totius compositi, subindeque illud assumere.

Confirmatur: Repugnat naturam aliquam propriam subsistentiæ terminatam, subsistere per divinam: At si pars integralis actu aliis partibus unita posset assumi ad divinam subsistentiam, toto composito non assumpto, posset simul subsistere propriam subsistentiæ & divinam: Ergo sic unita inassumptibilis est, non assumpto toto, & non assumptis aliis partibus ipsi conjunctis. Major supponitur ex probabiliori sententia, quam art. 2. itabiliemus, Minor autem probatur. Pars existens in toto, non potest non subsistere subsistentiæ totius, ut constat ex dictis: Ergo si manens in toto (qualiter manens dum est aliis partibus unita) posset assumi ad divinam subsistentiam, simul subsisteret subsistentiæ propriæ, nempe subsistentiæ totius, & subsistentiæ divinæ. Ex quo

C Inferes, formam substantialem, unitam materiæ, non posse assumi, nisi assumatur materia, & totum compositum: Quia forma ut unita materiæ, non subsistit, nec existit, nisi per subsistentiam & existentiam totius, quæ primariò communicatur formæ, & mediante formâ ipsi materiæ.

Secunda verò pars, quæ asserit partes integrantes, ut à suo subjecto divisas, posse uniri cum subsistentia divina, & per illam existere, etiam non assumpto toto composito, manifesta est: nam illæ partes separatæ subsistunt subsistentiæ propriæ, realiter à subsistentia totius distinctæ, quia per divisionem & separationem acquirunt subsistentiam & existentiam propriam, distinctam ab ea quam habebant, cum erant unitæ toti composito: Sed quod gaudet subsistentiæ propriæ, potest immediatè à Deo assumi, & subsistere per subsistentiam divinam, in qua eminenter talis subsistentia continetur: Ergo partes integrantes separatæ à toto, possunt assumi, etiam illo non assumpto. Idem dicendum de partibus homogeneis ab invicem separatis: verbi gratiæ duæ medietates aquæ, ab invicem separatæ, possunt uniri cum Deo, & illius subsistentiæ subsistere, quia ab invicem separatæ induunt rationem totius ejusdem rationis cum illo quod componebant, & subsistunt subsistentiæ propriæ, eminenterque in divina subsistentia contentæ.

E Contra primam partem hujus conclusionis Suarez, Granadus, & alij Recentiores obijciunt: Id quod subsistit per subsistentiam propriam creatam, potest subsistere per divinam subsistentiam: Sed partes sive essentielles sive integrales actu componentes totum, subsistunt per proprias & partiales subsistentias: Ergo potest una scorsim ab alia subsistere subsistentiæ divinæ, subindeque una pars actu aliis partibus unita, assumi ad divinam subsistentiam, aliis partibus non assumptis. Major patet ex dictis, Minor verò sic ostenditur. Subsistentia consequitur entitatem, & illi proportionatur: Sed entitas cujuscunque totius est composita ex partialibus entitatibus: Ergo illius subsistentia debet esse composita ex partialibus subsistentiis, & consequenter partes actu to-

DE NATURA ASSUMPTIBILI ET ASSUMPTA. 511

tum componentes subsistunt subsistentiis distinctis.

60. Confirmatur primò: Subsistentia totius integralis est extensa & divisibilis, non minus quam ipsum totum: Sed omne extensum & divisibile, est compositum ex partibus: Ergo subsistentia totius integralis composita est ex partibus, & consequenter constat partialibus subsistentiis quibus ejus partes subsistunt.

61. Confirmatur secundò: Modus materialis indivisibilis plura & distincta subiecta modificare nequit: Sed subsistentia totius integralis est modus materialis, & actuat plura subiecta, scilicet partes ex quibus componitur: Ergo nequit esse indivisibilis, sed necessariò divisibilis est, subindeque pluribus partialibus subsistentiis constat.

62. Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad illius probationem distinguo secundam partem Majoris: Subsistentia consequitur entitatem, & illi proportionatur, proportionem habitudinis, concedo Majorem. Proportionem omnimodè convenientiæ, nego Majorem, & concessa Minori, nego Consequentiam. Nam licet subsistentia proportionari debeat cum entitate totius ad quam necessariò sequitur, proportionem habitudinis per modum termini, cum natura terminabili, non debet tamen in omnibus convenire cum illa; ac proinde ex tali proportionem non sequitur quod si entitas est composita ex pluribus entitatibus, etiam subsistentia debeat esse composita ex partialibus subsistentiis, quia subsistentia talis compositio repugnat, sicut & existentia. Unde

63. Ad primam confirmationem nego Majorem, ut enim subsistentia esset divisibilis & extensa, deberet partibus immediatè convenire: Non autem illis convenit immediatè, sed toti, & ratione illius partibus; & ideo non est extensa & divisibilis, sed inextensa & indivisibilis. Ex quo patet responsio ad alteram confirmationem, Major enim distinguenda est: Modus materialis indivisibilis plura & distincta subiecta modificare nequit, immediatè, & ratione sui, concedo Majorem, Mediatè, & ratione alterius, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam; nam subsistentia non actuat immediatè partes componentes totum, sed immediatè actuat totum, & illo mediante partes: Sic autem actum indivisibilem plura actuare subiecta non repugnat, ut constat in existentia, quæ indivisibilis est, & tamen actuat materiam & formam, quia non ad illas immediatè, sed mediatè comparatur, scilicet mediantè toto, cui primò & immediatè convenit.

ARTICVLVS III.

An accidentia immediatè à Deo assumptibilia sint?

Certum est apud omnes, accidentia, mediantè substantiâ cui inhaerent, posse à Deo assumi, si nimirum substantia illa quæ est eorum subiectum assumatur; unde de facto intellectus & voluntas, aliæque proprietates hominis, ac cætera accidentia communia, mediâ humanitate, Verbo Divino unita sunt. Difficultas ergo solum est de immediata illorum assumptione, de qua variæ sunt sententia: Multi enim ex Recentioribus negant illam esse possibilem. Ita Suarez,

A Vazquez, Granadus, & Lorca. Alij verò, ut Medina, Nazarius, & Valentia, docent posse accidens assumi à Deo ad subsistendum per divinam subsistentiam. Tertia sententia, quæ inter has duas extremas media est, asserit nullum accidens posse assumi ad subsistendum divinâ subsistentiâ, benè tamen ad existendum increatâ Dei existentia. Hanc tenent Cabrera, Alvarez, Joannes à S. Thoma, Cipullus, & alij recentiores Thomistæ.

§. I.

Statuitur prima conclusio.

B Deo primò: nullum accidens est immediatè assumptibile ad personalitatem, seu subsistentiam divinam.

Hanc conclusionem, impugnatis aliis rationibus, probat Vazquez hoc discursu: Non est cum fundamento attribubilis alius modus unionis immediatæ cum Deo, præter illum quem ex mysterio Incarnationis colligimus: Sed immediata unio accidentis cum divina subsistentia, ex mysterio Incarnationis colligi nequit; cum unio cum divina subsistentia quam in hoc mysterio habemus, sit naturæ substantialis & ex se per se subsistentis, seu naturæ per se subsistere: Ergo accidens posse immediatè assumi & elevari ad divinam subsistentiam & personalitatem, sine fundamento asseritur.

C Simili discursu utitur Granado, probatque conclusionem istam, ex eo quod à Sanctis Patribus qui de mysterio Incarnationis tam copiosè disputaverunt, non sit mentio de alio genere unionis, quam de illo quo natura substantialis unitur cum subsistentia divina; subindeque possibilitas unionis naturæ accidentalis cum divina subsistentia, absque fundamento astringitur.

Sed hoc argumentum non urget, potestque enervari instantiâ desumptâ ex communi Theologorum sententia, quam illi Authores profitentur, asserente posse irrationalem naturam immediatè uniri divinæ subsistentiæ: Etenim ex mysterio Incarnationis solum habetur unio substantialis naturæ rationalis cum Deo, in unitatem personæ, & tamen, hoc non obstante, cum fundamento astringitur possibilis unio naturæ irrationalis cum Deo in unitatem non personæ, sed suppositi: Ergo ex eo quod unio quæ ex mysterio Incarnationis habetur, solum sit naturæ substantialis potentis ex se per se existere, perperam infertur alium unionis modum esse impossibilem, & sine fundamento inventum.

Alij ex Recentioribus ad nostram conclusionem asserendam moventur ex eo quod inter naturas communi subsistentiâ terminatas, necessariò intercedit communicatio idiomatum, ita ut ipsæ naturæ, & quæ illis propria sunt, adinvicem prædicentur in concreto: Unde istæ propositiones sunt veræ, *Deus est homo, Homo est Deus*: Sed natura accidentalis, neque in abstracto, neque in concreto potest prædicari de Deo; hæc enim propositio, *Deus est albedo*, & ista, *Deus est albus*, verificari nequeant: Ergo natura accidentalis non potest cum natura divina in eadem subsistentia conjungi, ac proinde non potest immediatè uniri subsistentiæ divinæ, nec per eam terminari.

Sed nec etiam hæc ratio urget, potest enim infringi exemplo animæ rationalis, quæ in tri-

duo remansit unita Verbo, & ejus subsistentiâ terminata, & tamen de Verbo nec in abstracto nec in concreto prædicari poterat, nam Verbum, nec anima, nec animatum dici potest; ad primum enim necessaria esset identitas animæ rationalis cum Verbo, unde hæc propositio, *Verbum est humanitas*, defectu identitas humanitatis cum Verbo, falsa est: Ad secundum verò oportet ut Verbum ab anima rationali informaretur, quod implicat: Ergo stat naturam aliquam à Deo assumi, & ipsius subsistentiâ terminari, absque eo quod adinvicem prædicentur.

68. Tertiò alij arguunt, & sic probant nostram conclusionem. Ex subsistentia & natura per illam terminata, debet unum per se resultare: Sed ex natura accidentali, & subsistentia divina, unum per se resultare nequit, cum accidens & substantia genere distent: Ergo accidens non potest immediatè divinâ subsistentiâ terminari.

69. Sed hæc etiam ratio inefficax apparet, quia non minus distant genere substantia creata & increata, quam substantia & natura accidentalis; Deus enim est extra genus, nec in aliquo prædicamento continetur, ut in Tractatu de attributis ostendimus: Sed hæc distantia non obstante, ex subsistentia Verbi & humanitate assumpta, resultat unum per se, ut docet D. Thomas supra quæst. 2. art. 6. Ergo pariter quod accidens & subsistentia divina distent distantia genericâ, non impedit, quin ex illorum unionem resultet unum per se.

70. Confirmatur: Ideò ex unionem humanitatis ad Verbum resultat unum per se, quia licet humanitas adveniat enti completo, trahitur ad esse illius: Sed in eo ipso quod natura accidentalis uniretur cum Deo quoad subsistentiam, traheretur ad esse divinum: Ergo ex illis ut unitis unum per se resultaret; & per consequens malè probatur non posse accidens uniri subsistentiæ divinæ, ex eo quod ex illis sic unitis unum per se resultare nequeat. His ergo rationibus, quibus communiter utuntur Recentiores, ut futilibus aut inefficacibus prætermisiss.

71. Probatur conclusio ratione fundamentali, quæ potest sic breviter proponi. Quod non est per se capax subsistentiæ propriæ, nequit immediatè assumi ad subsistendum subsistentiâ divinâ: Sed accidens non est per se capax subsistentiæ propriæ: Ergo non potest immediatè assumi ad subsistendum subsistentiâ divinâ. Major patet, nam assumptio creaturæ ad subsistendum subsistentiâ divinâ, fit ad hoc ut loco subsistentiæ propriæ, subsistentia divina substituatur in illa. Minor verò in qua est difficultas probatur primò. Subsistentia substantialis, seu modus essendi per se, ita est proprius substantiæ, sicut modus essendi per inhaerentiam in alio, proprius est accidentis: Sed modus inhaerentiae ita est accidenti proprius, ut repugnet communicari substantiæ: Ergo & modus per se existendi, ita appropriatur substantiæ, ut implicet competere accidenti.

Secundò eadem Minor suadet. Subsistentia est ultimum complementum substantiæ in genere substantiæ, atque actus veluti secundus aptitudinis ipsius substantiæ ad essendum per se: Sed accidens non est capax ultimi complementi substantiæ in genere substantiæ, atque actus secundi aptitudinis illius ad essendum per se; sicut neque è contra substantia est capax ultimi complementi accidentis in genere accidentis: Ergo accidens non est de se capax subsistentiæ propriæ.

72. Hinc potest deduci alia ratio in confirmatio-

A nem nostræ conclusionis, quæ præcedentem magis illustrabit: nam assumi ad subsistendum divinâ subsistentiâ, est fieri ultimum completum in genere substantiæ, per subsistentiam divinam: Sed nequit accidens esse ultimum completum in genere substantiæ: Ergo nec assumi ad subsistendum subsistentiâ divinâ. Major est certa, cum enim subsistentia nihil aliud sit quam ultimum complementum in genere substantiæ, assumi ad subsistendum subsistentiâ divinâ est fieri ultimum completum in ratione substantiæ per divinam subsistentiam. Minor verò probatur. Aliquid esse completum in genere substantiæ, necessariò supponit illud quod sic dicitur completum, esse substantiam, sicut aliquid esse ultimum completum in genere entis, vel accidentis, essentialiter supponit id quod dicitur ita compleri, esse ens, vel accidens: Sed implicat accidens esse substantiam: Ergo & esse ultimum completum in ratione substantiæ.

§. II.

Alia conclusio stabilitur.

Dico secundò: non implicat accidens uniri immediatè cum existentia divina.

Probatur: Sicut potest assumi ad subsistentiam divinam quicquid est capax propriæ subsistentiæ, ita potest uniri divinæ existentiae quicquid est capax existentiae propriæ: Sed accidens habet suam propriam existentiam distinctam realiter à sua essentia, & ab existentia subiecti: Ergo potest assumi ad existendum divinâ existentia. Minor supponitur ex Metaphysica, Major verò est manifeste; eadem enim est ratio de assumptione ad existendum existentia divinâ, cum existentia creata (quam suppono ex metaphysica, distingui realiter ab essentia) eminenter in existentia Dei increata contineatur, sicut subsistentia creata eminenter continetur in divina personalitate, seu subsistentia.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Quia existentia humanitatis realiter ab illa distinguitur, & eminenter in divina existentia continetur, potest hæc cum humanitate uniri, illamque existentem reddere; imò de facto humanitas Christi non existit per existentiam creatam & sibi propriam, sed ad divinam & increatam elevatur, ut disp. præcedenti art. 2. contra Vazquem, & Suarezem, aliosque Recentiores fasè ostendimus: Sed existentia accidentis realiter ab ejus essentia distinguitur, & continetur eminenter in existentia divina: Ergo potest divina illius effectum supplere, & cum accidente unita, illud constituere existens, subindeque non repugnat unio immediata accidentis cum divina existentia.

Respondetis, causalem Majoris non esse adequatam, non enim ideò solum potest humanitas per divinam existentiam existere, quia existentia humanitatis realiter ab illa distinguitur, & in existentia divina eminenter continetur, sed insuper quia est natura substantialis, & ideò illi non repugnat per divinam existentiam quæ substantialis est actuari: natura autem accidentalis capax actus substantialis non est, unde sicut ob hanc causam, non potest per divinam subsistentiam subsistere, ita nec reddi existens per existentiam divinam.

Sed contra, Non minus distat natura creata ab existentia increata & infinita, quam accidens à substantia: Sed quia subsistentia divina continet

eminenter substantiam naturæ creatæ, quamvis increata sit, potest naturam creatam terminare & reddere substantem: Ergo quamvis existentia divina sit actus substantialis, quia tamen eminenter continet existentiam accidentis, potest cum accidente uniri, & illud existens constituere.

77. Dices, hoc inter substantiam & existentiam reperiri discrimen, quod substantia ex proprio conceptu est terminus, existentia verò est forma, & ultimus actus: licet autem nulla sit imperfectio in hoc quod formalitas divina terminet naturam creatam, bene tamen in hoc quod illam actuet aut informet, ideòque potest substantia divina immediatè uniri naturæ creatæ, secus autem divina existentia.

78. Sed contra primò: De facto existentia divina reddit humanitatem Christi existentem, ut disp. præcedenti art. 2. pluribus ostensum est, & tamen non informat humanitatem: Ergo de conceptu existentie non est actuare informando id quod existens constituit, & consequenter ex isto capite non repugnat divinam existentiam alicui accidenti uniri, illudque existens reddere.

Secundò. Quævis substantia sit actus, non tamè est actus physicè informans, sed terminans, subindeque potest immediatè humanitati uniri, absque physica informatione: Ergo similiter, quævis existentia sit ultimus actus, quia tamen ex proprio conceptu formali, non est actus ultimus informans, sed actus ultimus terminans, divina existentia poterit absque informatione naturæ creatæ immediatè uniri, & illam existentem reddere.

§. III.

Præcipua objectiones solvuntur.

79. Obijcies primò contra primam conclusionem. Quod est capax modi essendi per se, potest assumi ad substantiam divinam: Sed omne accidens est capax modi essendi per se: Ergo potest assumi ad substantiam divinam. Minor patet, accidens enim divinitus separari potest à suo subiecto, & ex vi talis separationis acquirere modum essendi per se, sive modum independentiæ à suo subiecto tanquam à sustentante. Major verò probatur: Assumi ad substantiam divinam, est habere ab illa modum essendi per se: Ergo quod est capax modi essendi per se, assumi potest ad substantiam divinam.

80. Respondeo distinguendo Majorem: Quod est capax modi essendi per se, qui sit substantia, subindeque qui denominet ipsum suppositum, assumi potest ad divinam substantiam, concedo Majorem. Quod est capax modi essendi per se, qui non sit substantia, nec proinde constituat suppositum, sed solum sit similis analogicè substantiæ, transeat Minor, & nego Consequentiam. Dico transeat Minor, quia plures Theologi docent, idque satis probabiliter, accidens ex vi separationis à subiecto, non habere aliquem modum essendi per se, sed tantum privari modo inhaerentiæ, quod est esse per se subsistens negativè, non verò positivè. De quo in Disput. 6. art. 3.

81. Obijcies secundò contra secundam conclusionem: Existentia substantialis non potest communicari accidenti naturæ: Sed existentia divinæ naturæ substantialis est: Ergo nequit communicari accidenti, & consequenter non potest accidens immediatè divinæ existentie uniri. Major

Tom. IV.

A probatur, sicut substantia supponit rem quæ per illam subsistit esse substantiam, ita existentia substantialis debet supponere illud cui suum effectum formalem tribuit, esse substantiam: Ergo accidens nequit existere existentia substantiali.

82. Respondeo distinguendo Majorem: Existentia substantialis eminenter & formaliter, concedo Majorem. Existentia substantialis formaliter, & accidentaliter eminenter, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam: Nam existentia divina, quamvis sit substantialis formaliter, est tamen eminenter accidentaliter, & ideò potest accidenti communicari: Sicut potest communicari naturæ substantiali creatæ, quia quamvis sit existentia increata formaliter, est tamen eminenter existentia creata, cum illam eminenter contineat. Divina autem substantia non est substantialis eminenter & formaliter, quia eminenter non continet substantiam aliquam creatam, per quam subsistere possit natura accidentaliter, & ideò est ita propria substantialis naturæ, ut accidentali communicari non possit.

83. Respondeo secundò negando absolute Majorem, ad cujus probationem, nego paritatem: Disparitas est, quia cum omnis substantia sit ex propria sua ratione ultimum complementum rei in ratione substantiæ, debet necessariò supponere rem illam cujus dicitur substantia esse substantiam: At verò existentia, etiam substantialis, cum ex proprio suo conceptu sit solum ultimum complementum in ratione entis, ratio substantialis vel accidentaliter merè materialiter se habet ad ipsam; subindeque ut accidens sit capax existentie divinæ, licet substantialis, non requiritur quod sit substantia, sed sufficit quod sit aliquid complebile in ratione entis.

84. Obijcies tertio: Illud solum potest assumi ad existendum existentia divinæ, quod potest constituere unum ens per se cum Deo, Deus enim non potest venire in compositionem entis per accidens: Sed accidens nequit constituere unum ens per se cum Deo: Ergo nec assumi ad ejus substantiam. Minor probatur: Quæ non sunt ejusdem generis, sed diversi, nequeunt uniri ad faciendum unum ens per se: Atqui accidens & Deus sunt diversi generis: Ergo unum per se constituere nequeunt.

85. Respondeo negando Minorem, & distinguendo ejus probationem: Quæ sunt diversi generis nequeunt uniri inter se ad faciendum unum ens per se, si ambo afferant suas proprias existentias, concedo. Si unum illorum sit privatum suæ propriæ existentie, & trahatur ad existentiam alterius, sicut traheretur accidens ad existentiam Dei, ex suppositione quod assumeretur ad illam, negatur.

86. Obijcies ultimò: Si accidens, v. g. albedo, assumeretur à Deo ad existendum existentia increata, denominaret Deum ipsum album, sicut humanitas assumpta denominat Deum hominem: Sed hoc non debet admitti, esse enim album non potest tribui ab albedine, nisi subiecto cui inest, Deus autem nequit esse subiectum albedinis: Ergo implicat accidens assumi à Deo, ad existendum existentia divinæ.

87. Respondeo negando sequelam, solum enim in casu objectionis, Deus diceretur habens albedinem, non tamen albus: Sicut in triduo Verbum quod remansit unitum animæ Christi, dici poterat habens animam, non tamen animatum;

& ratio est quia illud solum dicitur album, vel animatum, cui inhaeret albedo, vel quod informatur ab anima: albedo autem nequit inhaerere Deo, nec Verbum ab anima informari.

Mitto plura alia argumenta quibus Adversarij probare contendunt, nullam entitatem creatam posse existere per existentiam realiter ab illa distinctam, tum quia haec spectant ad Philosophiam, & à nostris Thomistis in metaphysica clare diluuntur; tum etiam quia facile enervari ac infringi possunt exemplo humanitatis Christi, quam per divinam existentiam existere, disputatione praecedenti ostendimus, & docet frequentior, probabiliorque sententia. Unde praesentem difficultatem ad id solum restringimus, an scilicet accidenti, ex aliqua peculiari ratione, repugnet divinam existentiam existere, sicut ei repugnat, divinam subsistentiam terminari.

ARTICULVS IV.

Virum naturam creatam, subsistentem in propria persona, & propria personalitate retentam, possit assumi ad subsistentiam divinam?

88. **D**ixi naturam creatam, quia extra dubium est, personalitatem ipsam assumi non posse ad subsistendum per divinam subsistentiam: Tum quia subsistentia est ultimus terminus in linea & ratione subsistendi: Termino autem ultimo, ulterior terminatio essentialiter repugnat. Tum etiam, quia non stat personalitatem assumi, & non assumi personam ad subsistendum: Implicat autem personam assumi ad subsistendum, cum persona sit rationalis naturae individua substantia, id est incommunicabilis, quod de incommunicabilitate alteri ut supposito accipiendum esse constat; cum persona possit communicari naturae, ut patet in persona Verbi, quae de facto fuit communicata & unita humanitati.

89. Addidi in titulo, *propria personalitate retentam*, quia etiam extra controversiam, & omnino certum est, posse naturam conjunctam propriae personalitati assumi, si per assumptionem ipsa personalitas expellatur seu destruitur: Non enim major potest esse repugnantia, quod natura propria personalitate illi conjuncta privetur, quam quod sine ulla producat, resultantia subsistentiae propriae, per alienam impeditur.

90. Solum ergo difficultas est, utrum natura creata, manens in propria persona, assumi possit ad subsistentiam divinam, conservata propria personalitate; ita tamen ut haec non assumatur, sed sola natura quae illam terminatur; eo modo quo si eadem humanitas quae nunc assumpta est à Verbo, conservata hac unione, assumeretur etiam à Patre; & sicut natura divina, cum per aeternam generationem communicatur Filio, in illo terminatur propria Filij personalitate, non amittendo personalitatem Patris.

91. Affirmativam partem docet Martinus Peres Tract. de Incarn. disp. 9. sect. 9. Hurtado in metaph. disp. 11. sect. 7. & 3. part. disp. 44. num. 1. Bernaldus disp. 24. sect. 2. pro ea ex antiquis citantes Baconum dist. 5. quaest. 1. & Naclantum Theorem. 2. circa finem, illamque non improbabilem censet Suarez disp. 14. sect. 1. dicens, Auctores ita sentientes vix posse ratione convinci.

Ceterum, sententiam negativam (quod scilicet

A non possit, etiam de potentia absoluta, natura creata, retinendo propriam personalitatem, uniri personae divinae, nec per illius subsistentiam subsistere) docent communiter Theologi, non solum recentiores, sed etiam antiqui, quamvis in assignanda ratione hujus impossibilitatis non conveniant.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

Dico igitur: natura creata, subsistens in propria persona, & propria personalitate retentam, non potest, etiam de absoluta potentia, uniri personae divinae, & per illius subsistentiam subsistere.

Hanc conclusionem aliqui probant ex definitione personae, de cujus conceptu est quod sit alteri supposito incommunicabilis: Sed si natura creata, propria personalitate retentam, assumetur à supposito divino, illi communicaretur: Ergo implicat ita assumi.

Haec tamen ratio non urget, potest enim facile responderi, non esse de ratione personae, quod natura ex qua componitur, non communicetur alteri supposito, vel personae, sed solum quod persona ipsa ex natura & personalitate composita, non possit illi communicari; nam Personae Patris aeterni convenit definitio & ratio personae, & tamen illius natura communicatur Filio: Personae etiam constitutae ex personalitate Verbi & humanitate assumpta, competit definitio personae, & tamen natura humana, personalitate Filij retentam, potest Patri communicari, & per ejus subsistentiam subsistere: Haec ergo ratio solum videtur probare, quod persona creata non possit assumi à persona divina; non autem quod natura propria subsistentia subsistens illaque retentam, non possit ab illa assumi, de quo solum est quaestio in praesenti. Unde

Suarez loco citato, alias refert rationes, praesertim ex Cajetano, & eas impugnat, ac tandem istam constituit, quae maxime illi placet. Propria subsistentia naturae creatae est modus quidam intrinsecus per se existendi: Sed hic modus habet formalem & immediatam repugnantiam cum illo modo unionis quem habet natura assumpta in alio supposito, quia esse per se & in alio sunt modi ita repugnantes, ut unus intrinsecè includat negationem alterius: Ergo implicat naturam creatam subsistentem in propria persona, uniri personae divinae, & in illa subsistere.

Sed haec ratio in multis deficit, primò quia duo supponit falsa, aut saltem incerta & dubia. Primum est, quod subsistentia naturae creatae sit modus illius; illud enim, licet sit probabile, non est tamen certum, nec à Theologis unanimiter recipitur; multi enim cum Cajetano existimant, personalitatem creatam non esse modum naturae, sed entitatem realiter ab illa distinctam. Secundum est, naturam creatam non uniri personae divinae immediatè, sed per aliquem nexum seu modum ab illis extremis distinctum; oppositum enim plures Theologi docent, nosque supra disp. 6. illorum sententiam ut probabiliorē secuti sumus.

Secundò, Ex eo quod personalitas propria sit modus naturae quam terminat, sequitur tantum quod non possit terminare alienam naturam, sed solum propriam, quia modus rei non potest modificare nisi rem illam cuius est modus proprius; non autem sequitur, quod natura terminata

per illum modum proprium, non possit terminari à persona divina, quæ realiter identificatur cum divina natura.

Tertio, Negatio existendi in alio est effectus secundarius subsistentiæ propriæ, cum enim negatio sit, & subsistentia in aliquo positivo consistat, non potest esse effectus primarius illius: Sed effectus secundarius non est essentialiter formæ, nec ab illa inseparabilis, de potentia absoluta: Ergo talis negatio non convenit essentialiter subsistentiæ propriæ, quæ natura creata subsistit connaturaliter, & consequenter poterit illà retentà, per alienam terminari. Missis ergo his rationibus.

95. Probatur primò conclusio ex 5. Synodo generali collat. 8. can. 5. ubi sic dicitur: *Si quis non constituetur Dei Verbum, carni secundum subsistentiam unum, & propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam, anathema sit.* Ex quibus verbis hoc potest argumentum defumi: Concilium infert in Christo esse unam tantum personam, ex eo quod humanitas fuit assumpta ad subsistentiam Verbi: At hæc illatio non esset bona, si natura creata, propriâ personalitate retentà, posset terminari per divinam, ut de se patet: Ergo hoc impossibile est.

Nec valet si dicas, rationes quibus Concilia utuntur ad definiendas veritates fidei, non esse de fide. Esto enim non sint de fide, sunt tamen magni ponderis & auctoritatis: Ergo licet de fide non sit, implicare naturam creatam, propriâ personalitate retentà, terminari per divinam, erit tamen veritas Theologica omnino certa & indubitata.

96. Probatur secundò conclusio argumento à posteriori desumpto ex mysterio Incarnationis. Si natura humana terminata propriâ personalitate esset assumptibilis à Persona Divina, Verbum de facto illam assumpsisset terminatam propriâ personalitate, non assumendo ipsam personalitatem: At secundum fidem Catholicam Verbum assumpsit naturam humanam sine propria personalitate: Ergo signum est non fuisse possibile humanitatem propriâ personalitate terminatam assumi à Persona Divina. Minor est certa de fide, sequela autem Majoris probatur, Tum quia si propria personalitas & subsistentia naturæ humanæ non impediabat unionem ejus hypostaticam cum Verbo, videretur fuisse convenientius perfectioni humanitatis Christi, quod non solum subsisteret per subsistentiam Verbi, sed etiam per propriam, si talis subsistentia sit composibilis in eadem natura cum subsistentia Verbi. Tum etiam quia non sunt multiplicanda, vel augenda miracula sine necessitate: majus verò esset miraculum auferre à natura humana propriam personalitatem, vel impedire ne propria subsistentia, quæ est passio ei connaturaliter debita, ab ipsa fluere, quam conservare propriam subsistentiam cum aliena. Quod potest aptissimo exemplo declarari & illustrari. Licet præsentia localis & sacramentalis sint duo modi naturaliter simul repugnantes eidem corpori, unde naturaliter fieri nequit quod idem corpus simul habeat duos illos modos essendi, tamen quia extensio ad locum est passio connaturaliter debita corpori, ideo communiter dicitur in materia de Eucharistia, fore majus miraculum, si corpus Christi acquirendo sacramentalem præsentiam, amitteret extensionem atque præsentiam localem quam habet in cælo,

Tom. IV.

A quàm quòd retentà illà extensione locali acquirat præsentiam in speciebus Sacramentalibus. Ergo similiter si absolutè composibilis esset propria personalitas humanitatis cum aliena Verbi Divini, majus miraculum esset dicendum, quod Verbum ex vi assumptionis naturæ humanæ impediret ne propria & connaturalis subsistentia ab ea resultaret, quàm quod simul cum personalitate Verbi illa maneret, subindeque potius dicendum esset, illam remanere cum ista, quàm quòd illius resultantia impediatur, sicut in simili dicitur de ipsa præsentia locali Christi Domini.

B Probatur tertio conclusio: Implicat quod natura creata existat simul & semel duplici existentia, quarum una sit creata, & altera increata: At si natura terminata per propriam personalitatem assumeretur à Deo, non destructa tali personalitate, haberet duplicem existentiam, quarum una esset creata, & altera increata: Ergo &c. Major est certa, tum quia esse individuatur à natura in qua recipitur: tum etiam, quia duæ existentie, præsertim si sint completæ, non possunt inter se uniri per modum actus & potentie ad constituendum unum per se, ut ostenditur in Philosophia. Minor verò suaderetur: Cuilibet subsistentiæ sua debet correspondere existentia, quia subsistentia est veluti ultima dispositio, quæ natura redditur capax existentie; ac proinde duæ subsistentiæ necessariò secum trahunt duas existentias: Sed in nostro casu natura assumpta duas haberet subsistentias, quarum una esset creata & connaturalis, altera increata & præternaturalis: Ergo & duas existentias, unam creatam & naturalem, alteram increatam & supernaturalem. Cæterum si natura humana terminata per subsistentiam Verbi, ulterius per personalitatem Patris vel Spiritus Sancti terminaretur, non haberet propterea tres existentias, quia subsistentiæ relativæ divinarum personarum, non redderent naturam assumptam capacem diversæ existentie, sed unius tantum existentie increatæ & infinite, per quam existunt ipsæ divinæ personæ.

D Probatur quartò conclusio ratione desumptà ex Capreolo in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 1. Scoti contra secundam conclusionem. Quod dependet ab alio dependentià strictà & causali, non potest à pluribus ut plures sunt dependere adæquatè in nullo genere causæ, ut 2. physic. à nostris Thomistis ostenditur: Sed natura in existendo dependet à subsistentia dependentià strictà & causali: Ergo non potest pluribus subsistentiis adæquatè terminari, sed per propriam subsistentiam terminatur adæquatè, ejusque dependentia in existendo, adæquatè per illam expletur, & per consequens, propriâ subsistentiâ retentà non potest, etiam de potentia absoluta, per alienam terminari. Quæ ratio non militat in divina natura, comparata cum tribus subsistentiis relativis, cum ab illis in existendo non pendeat, sed tantum ab ipsis accipiat incommunicabilitatem, ut in Tractatu de Trinitate ostendimus. Nec etiam probat, quod natura creata non possit simul terminari à tribus divinis personis, & in illis subsistere; quia personæ divinæ, ut terminantes naturam creatam, eique perfectiorem incommunicabilitatis tribuentes, non habent rationem causæ, sed puri termini, subindeque natura non dependet ab illis dependentiâ causali, sed solum terminativâ: quo genere dependentiæ stat unum & idem à pluribus dependere adæquatè intensivè cum inadæquatione extensiva, ut constat in re.

Ter ij

latione Patris ad plures filios terminata.

99. Denique suaderi potest conclusio aliâ ratione faciliori, quam Cipullus sic proponit. Implicat quod eadem natura creata simul sit in alieno supposito, & non sit in alieno supposito: At hoc sequeretur ex eo quod natura humana manens in propria persona esset assumpta à Persona Divina: Ergo hoc implicat contradictionem. Major est certa, propter manifestam contradictionem quam dicit esse in alieno supposito, & non esse in alieno supposito. Minor etiam quoad primam partem patet, nam Persona Divina est suppositum extraneum à qualibet natura creata. Quoad secundam verò probatur: Effectus formalis subsistentiæ propriæ, est reddere naturam subsistentem in se, & per se, & non in alieno supposito, ut docent Philosophi in Metaphysica, constatque ex ipsa nominis etymologia, nam apud Latinos subsistere in se, idem sonat ac sistere seu terminari in se, & non in alio: Hoc autem cum non dicat exclusionem à subiecto, quia qualibet natura substantialis completa, per seipsam habet quod non sit in alio tanquam in subiecto, oportet quod dicat exclusionem seu negationem essendi in alio ut in supposito.

§. II.

Præcipua objectiones solvuntur.

100. **O**bjicies primò: Damascenus libro cur ad imaginem Dei sumus, hæc habet: *Dei Filius saluari Patris voluntate factus est homo, naturamque humanam sibi unâ cum humana voluntate qua natura est conjunxit, hominis autem hypostasim non conjunxit.* Et rationem reddit: *Ne natura humana voluntas qua natura attribuitur, voluntate eâ qua hypostasim attingit, à divina voluntatis præscriptione discederet, sed ei sponte pareret in omnibus.* Ex quibus verbis hoc potest desumi argumentum: Ideo juxta Damascenum, Verbum assumpsit naturam humanam, non autem hypostasim hominis, ne fieret assumptio cumqua staret peccabilitas: Ergo supponit assumptionem hypostasis esse possibilem. Consequentia patet, nam si repugnaret, non idèò assumpta non fuisset hypostasis humana, ut peccabilitas vitaretur, sed quia impossibilis esset.
101. Respondeo primò, meritò dubitari posse an hæc translatio legitima sit, cum in testimonio adducto, Damascenus duplicem distinguat voluntatem, unam hypostasis, & aliam naturam, quæ distinctio fictitia est, & Theologiæ ac Philosophiæ repugnans; Philosophi enim & Theologi unam tantum in homine voluntatem agnoscunt, quæ naturæ ut quo, & supposito ut quod, in omnibus suis operationibus tribuitur.

Respondeo secundò: Cum Damascenus loco citato docet Verbum conjunxisse sibi naturam humanam & illius voluntatem, loqui de conjunctione physica per unionem ad divinam subsistentiam: cum autem subdit, non conjunxisse sibi hypostasim hominis, loquitur de conjunctione quam hæretici docebant, scilicet per solum affectum & specialem amorem; & hujus rationem reddit, *Ne voluntate hypostasis, natura humana à Dei voluntate discederet.* Hæc autem affectiva solum conjunctio quam hæretici astruebant, etsi de facto non derur, & à Conciliis contra Nestorium congregatis damnata sit, tamen possibilis fuit.

- A Tertiò responderi potest, admittendo Damascenum loqui de conjunctione physica hypostasis hominis ad divinam subsistentiam, & negando Consequentiam; potuit enim talem conjunctionem negare ob rationem assignatam, nempe ut peccabilitas vitaretur, non supponendo talem unionem fuisse possibilem, sed abstrahendo ab hac quæstione, an sit possibilis, vel non.

Objicies secundo: Eadem numero natura divina terminata personalitate Patris, rursus terminatur personalitate Filij, & Spiritus Sancti, absque eo quod una persona divina terminetur per aliam: Ergo similiter natura humana terminata personâ propriâ, potuit terminari personalitate Verbi, absque eo quod personalitas Verbi terminaret personam humanam.

Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam; licet enim natura divina possit simul terminari triplici subsistentiâ, hoc tamen non potest contingere in natura creata, tum quia illud competit divinæ naturæ ratione suæ infinitatis, à qua deficit qualibet natura creata: Tum etiam, quia probando nostram conclusionem, plures assignavimus rationes disparitatis inter propriam personalitatem respectu naturæ creatæ, & personalitates divinas, tam comparative ad naturam divinam, quàm etiam comparative ad creatam.

- C Objicies tertiò: Natura humana terminata per alienam personalitatem, scilicet per subsistentiam Verbi, potest assumi à Patre & Spiritu Sancto: Nam ut disputatione præcedenti cum S. Thoma docuimus, omnes tres personæ Trinitatis poterunt eandem numero naturam assumere: Ergo terminata propriâ personalitate, poterit assumi Verbo, non assumptâ personalitate.

Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: Nam subsistentia propria constituit naturam subsistentem per se & in se, subsistentia verò aliena constituit illam subsistentem in alio: implicat autem contradictionem, quod eadem natura simul subsistat per se & in alio, non verò quod habeat plures modos subsistendi in alio; quia subsistere per se & in alio, sunt duo modi subsistendi inter se oppositi, & quorum unus, virtualiter saltem, includit negationem alterius: Plures verò modi essendi in alio, non habent inter se hanc repugnantiam & oppositionem, nec unus includit virtualiter negationem alterius. Potestque id declarari & illustrari exemplo accidentis, videmus enim quod omnino implicet idem accidens simul esse per se & in alio; ceterum quod simul possit esse in pluribus subiectis, multi extra Scholam D. Thomæ concedunt, saltem de absoluta potentia. Duas alias rationes discriminis probatione, & 4. nostræ conclusionis insinuavimus, quæ ibidem videri poterunt.

ARTICVLVS V.

An hæc propositio (Deus assumpsit hominem) in rigore & proprietate sermonis sit vera?

Ratio dubitandi est, quia modus ille loquendi passim invenitur apud Concilia & Sanctos Patres, nam in Concilio Toletano 1. in confessione dicitur, *Credimus Filium Dei ex vero Virginis assumpsisse hominem.* Similia habentur in Toletano 6. cap. 1. in Toletano 11. in confess. fidei, & in Francofordiensi in Epist.

ad Episcopos Hispanie. Ex Patribus verò ita locuti sunt Hilarius lib. 2. de Trinit. Damascenus lib. 3. fidei cap. 4. Leo magnus in Epist. ad Julian. & serm. 4. de Epiphania, ac serm. 2. de Ascensione, S. Maximus homil. 2. Pentecostes. Boëtius lib. de duabus naturis, & Augustinus de prædest. Sanct. cap. 15. Epist. 66. lib. 9. de civit. cap. 17. & 21. & pluribus aliis in locis. Imò oppositum docentes anathemate damnasse testatur Magister in 3. dist. 5. paragrapho 6. Denique hic loquendi modus usurpatur ab Ecclesia, præsertim in Canticum *Te Deum laudamus*. à SS. Ambrosio & Augustino composito, ubi dicitur: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum*. Ergo hæc propositio, *Deus assumpsit hominem*, in rigore & proprietate sermonis vera est.

108. Propter hæc & similia testimonia, Ludovicus Vives in lib. 9. Augustini de civit. Dei cap. 17. partem affirmativam tenuit, irridens Theologos Scholasticos oppositum asserentes, cum ipse potius merito irridendus sit, eo quod (ut inquit Vazquez) magis in humanis literis, quam in Theologicis rebus versatus, & ut alij aiunt, Grammaticus magis quam Theologus, falcem in messem alienam mittens, præceps tulit ex Theologica quaestione iudicium, ut patebit ex dicendis conclusionem sequenti.

Dico igitur, hæc propositio, *Deus assumpsit hominem*, in rigore & proprietate sermonis non est vera. Ita communiter docent Theologi cum S. Thoma hic quaest. 4. art. 3. & in 3. dist. 6. quaest. 1. art. 2. probantque variis Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis, quæ brevitatis causâ prætermitto, & conclusionem probo ratione quam idem S. Doctor locis citatis infinuat.

109. Si hæc propositio, *Verbum Dei assumpsit hominem*, esset vera in rigore & proprietate sermonis, sequeretur Verbum non solum assumpsisse naturam humanam, sed etiam humanum suppositum: Consequens est erroneum: Ergo dicta propositio non est vera in proprietate sermonis. Minor est certa, alias essent in Christo duæ hypostases, seu duo supposita, nam assumptum manet in assumpto, & consequenter si suppositum humanum fuit à Verbo Dei assumptum, mansit in Christo, subindeque in illo essent duo supposita. Major verò suadetur. Homo licet de formali solam humanitatem significet, de materiali tamen & implicite, significat suppositum habens humanitatem, & pro illo supponit: Ergo Verbum hominem assumere, propriè & in rigore est assumere humanum suppositum, & consequenter, si prædicta propositio in rigore & proprietate sermonis esset vera, sequeretur Verbum assumpsisse non solum humanitatem, sed etiam suppositum hominis. Consequentia patet, Antecedens autem probatur primò ex D. Thoma 1. dist. 6. quaest. 1. art. 2. in corp. 1. p. quaest. 39. art. 4. & hic quaest. 4. art. 3. quibus locis, & alibi passim, docet nomen *homo* significare naturam per modum perfecti, & cum natura suppositualitate compleatur & perficiatur, illam significat ut in supposito, & in habente naturam.

Secundò probatur ex Damasceno lib. 3. cap. 4. in principio, & cap. 11. circa finem, ubi dicit quod sicut hoc nomen *Deus* significat eum qui habet divinam naturam, ita hoc nomen *homo* significat eum qui habet humanam naturam: Sed habens humanitatem, supponit pro supposito humanæ naturæ: Ergo nomen *homo* pro eodem supponit.

Tom. IV.

A Tertiò, istæ propositiones sunt veræ, *Petrus est homo*, *Paulus est homo*: Sed si nomen *homo* non supponeret pro supposito habente naturam, non possent esse veræ; nam istæ propositiones, *Petrus est humanitas*, *Paulus est humanitas*, veræ non sunt, quia humanitas non pro habente naturam, sed solum pro natura supponit: Ergo nomen *homo* non supponit pro natura, sed pro supposito habente naturam.

Ad rationem verò dubitandi initio propositam respondet Cardinalis Delugo disp. 13. sect. 2. num. 15. antiquos Patres, prædictâ propositione utentes, propriè fuisse locutos, quia nomen *homo* tunc temporis indifferens erat ad significandam naturam humanam in abstracto, vel in concreto, eo quod humanitas quæ modò, juxta omnes Theologos, naturam in abstracto significat, tunc in hac significatione usurpata non erat. Unde sicut si nunc Verbum Divinum aquæ naturam assumeret, propriè diceretur assumpsisse aquam, eo quod non habeamus nomina diversa, quibus naturam aquæ in abstracto & in concreto significemus, sed nomine aquæ, naturam ejus utroque modo acceptam significamus: ita ob eandem causam, prædicta propositio, *Verbum Dei assumpsit hominem*, antiquis temporibus fuit vera in rigore sermonis, quia hoc nomine *homo*, natura humana in concreto & in abstracto significabatur: nunc autem quia duo nomina sunt inventa ad significandam naturam humanam in concreto, & in abstracto, scilicet *homo* & *humanitas*, non potest illa propositio in proprietate usurpari. Sicut olim una hypostasis in Deo concedebatur, quia hæc vox *hypostasis* indifferens erat ad significandam naturam & personam: postea verò, quia ex usu & consensu fidelium, applicata est vox *hypostasis* ad solam subsistentiam, vel suppositum significandum, non licet Catholicis dicere esse in Deo unam hypostasim. Eandem solutionem tradit ex nostris Cipullus hic art. 3. dubio unico.

Verùm illa non videtur legitima, potestque breviter confutari, nam vox *humanitas*, passim usurpata pro abstracto, etiam priscis illis temporibus invenitur: Ergo si nunc quia diversis nominibus natura humana in abstracto & in concreto significatur, non est vera dicta propositio in proprietate sermonis, nec etiam illis antiquis temporibus fuit in rigore & proprietate vera. Consequentia patet ex dictis, Antecedens autem constat variis Conciliorum & SS. Patrum testimoniis: nam in primis in Concilio Toletano 6. can. 1. sic habetur: *Solus filius suscepit humanitatem in singularitate persona*. Deinde Cyprianus qui tertio sæculo floruit, serm. de Nativit. loquens de Filio Dei ait: *Humanitatis participatione frater noster fieri voluit*. Item Cyillus in Epist. ad Nestorium, relata in Concilio Ephesino & Calcedonensi actione 1. hæc scribit: *Sed quoniam propter nos, & propter nostram salutem, unicus sibi secundum subsistentiam humanitatem, processit ex femina, propterea dicitur secundum carnem natus*. Denique Damascenus lib. 3. fidei cap. 4. sic dicit: *Illud itaque animadvertendum est, quod divinitatis atque humanitatis vox essentias seu naturas indicat*. Ergo antiquis illis temporibus diversa erant nomina, quibus natura in abstracto & in concreto significaretur. Unde hac prætermisâ solutione,

Ad rationem dubitandi initio propositam respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: Ecclesia enim, Patres, & Concilia,

T t t iij

cum docent Verbum assumplisse hominem, non sunt proprie, sed improprie intelligenda, id est assumplisse humanitatem, sumendo concretum pro abstracto, quæ est impropria locutio. & figura Synecdoche, quæ accipit totum pro parte: vel quia assumptio terminata est ad hoc ut Filius Dei esset homo, juxta quam intelligentiam, non sumitur homo per modum extremi assumpti, de cujus ratione est assumptioni præsupponi, sed per modum termini effecti per assumptionem; quæ etiam non est propria, sed impropria locutio, nam Verbum assumere proprie non explicat effectum, sed tractionem unius ad esse alterius, & ideo in rigore acceptum, non dicitur de termino effecto, sed de extremo alteri unito, & ad esse illius assumpto. Solutio est D. Thomæ hic art. 3. ad 1. ubi ait quod *hujusmodi locutiones non sunt extendenda tanquam propria, sed pie sunt exponenda ubicunque à sacris Doctoribus ponuntur: ut dicamus hominem assumptum, quia ejus natura est assumpta, & quia assumptio terminata est ad hoc ut filius Dei sit homo.*

ARTICVLVS VI.

Utrum humanitas Christi, ut actu conjuncta Verbo Divino, ejusque personalitate terminata, appetitu innato, substantiam propriam & sibi connaturalem appetat?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia, & vera eligitur.

113. PRO resolutione hujus difficultatis in primis recolendum est ex Tractatu de visione beatifica, duplicem à Philosophis & Theologis solere distinguere appetitum: unum innatum, qui est inclinatio seu propensio ab Authore naturæ indita, quæ unaquæque res, absque ulla cognitione in suum bonum connaturale est propensa, qualis est propensio gravis in centrum, & levis ad locum suum; alterum elicitum, qui est actus appetendi à speciali aliqua potentia sensitiva vel rationali procedens, & in bonum cognitum sub ratione boni tendens.

114. Deinde advertendum est, appetitum naturalem seu innatum esse duplicem, unum in actu primo, qui nihil aliud est quàm ipsa rei natura secundum se veluti naturaliter inclinata ad proprium bonum; alterum in actu secundo, qui est operatio aut quasi operatio naturæ tendentis in bonum sibi connaturale: v. g. gravitas in lapide est appetitus innatus seu naturalis in actu primo ad centrum; gravitare autem est appetitus naturalis in actu secundo.

115. Tertiò ut certa ab incertis separentur, suppono tanquam certum, humanitatem Christi, sicut & alias, habere inclinationem naturalem in actu primo ad propriam substantiam; hæc enim, ut dicebamus, nihil aliud est quàm entitas humanitatis secundum se, ut ex ea naturali sequela nata est sequi propria personalitas, unde si separaretur à Verbo, illam per naturalem resultantiam haberet, seu de novo acquireret. Difficultas ergo consistit in hoc, utrum humanitas Christi, considerata ut actu conjuncta Verbo Divino, habeat appetitum naturalem per modum actus secundi ad propriam personalitatem; eo proportionali mo-

do quo lapis detentus sursum, non solum per gravitatem, sed etiam per gravitationem tendit in centrum, & conatur removere & evincere prohibens?

Partem affirmativam tenent Scotus quolib. 19. quæst. 3. Vazquez hic disp. 34. & Cabrera disp. 8. Negantem verò sequuntur Cajetanus, Medina, Alvarez, Joannes à S. Thoma, Cipullus, & alij ex nostris Thomistis, cum quibus

Dico, humanitatem Christi actu unitam Verbo non habere inclinationem, seu appetitum innatum, per modum actus secundi, ad propriam personalitatem.

Probatum primò: Potentia perfecta & completa per actum & formam perfectiorem, & eminenter formaliter continentem perfectionem alterius actus vel formæ imperfectioris, non habet naturalem appetitum ad illum actum vel formam minus perfectam: Sed humanitas Christi assumpta à Verbo, completur & perficitur per substantiam increatam & infinitam Verbi Divini, eminenter formaliter continentem totam perfectionem propriæ personalitatis: Ergo humanitas Christi, ut completa illà divinà personalitate, non amplius appetit substantiam propriam & connaturalem. Minor est evidens, Major probatur: Tum quia potentia non inclinatur ad aliquem actum vel formam, nisi ut ab illa perficiatur, compleatur, & actuetur: Ergo si potentia completa per actum vel formam nobiliorem, & eminenter formaliter continentem perfectionem alterius, majorem ab illo recipiat perfectionem & actualitatem, quàm reciperet ab actu vel forma imperfectiori, non habet rationalem inclinationem ad illum actum vel formam imperfectiorem. Tum etiam, quia si potentia completa per actum perfectiorem & nobiliorem, appeteret naturaliter imperfectiorem, ille appetitus naturalis ferretur in malum ut sic, quia minus bonum & minus perfectum habet rationem mali, respectu melioris & perfectioris.

Adde quod, quælibet inclinatio est satiata & perfecta, quando attingit aliquid continens eminenter formaliter suum terminum: Ergo tunc non habet naturalem appetitum ad actum vel formam inferiorem. Consequentia patet, Antecedens verò variis exemplis declaratur & illustratur. In primis enim videmus appetitum naturalem hominis perfecte satiari per beatitudinem supernaturalem, nec desiderare naturalem, quando supernaturalem possidet, quia scilicet beatitudo supernaturalis eminentissimo modo continet totam perfectionem beatitudinis naturalis. Secundo, unusquisque appetit naturaliter acquirere scientias omnium rerum, si tamen alicui concederetur rerum omnium scientia infusa, & beatifica, non haberet amplius appetitum scientiæ acquisitæ. Tertiò, si esset aliqua forma quæ contineret omnes perfectiones omnium formarum corruptibilium; tunc materia informata tali formâ plenè satiaretur, nec alias appeteret. Et si esset aliquid continens quidquid est in centro respectu lapidis, lapis in illo existens quiesceret sicut in centro, nec deorsum gravitaret: Ergo quælibet inclinatio est satiata & perfecta, quando attingit aliquid continens eminenter formaliter suum terminum.

Dices cum Vazque, hoc argumentum convincere quidem humanitatem Christi non appetere propriam personalitatem appetitu elicitu, quia ille ducitur cognitione & apprehensione, ac pro-

inde cum natura cognoscit se majus aliquid bonum possidere, abstinere a desiderio boni imperfectioris, quod possessionem superioris boni impedit. Ceterum hoc non habere locum in appetitu naturali seu innato, quia cum ille appetitus oriatur cum natura, tandiu perseverat, quandiu manet ipsa natura.

89. Sed contra primum: Quamvis appetitus innatus & elicitus in multis distinguantur, praesertim quia innatus non ducitur cognitione, sicut elicitus; hoc tamen habent commune, ut uterque sit in appetente, ratione indigentia alicujus perfectionis vel bonitatis: Sed quando potentia est perfecta & completa per actum & formam perfectionem, & eminenter formaliter continentem perfectionem alterius actus vel formae imperfectioris, tunc illo actu vel forma non indiget: Ergo non potest illam appetere appetitu innato; ut patet exemplo materiae, cujus appetitus innatus satiatur per formam quae contineret eminenter formaliter totam perfectionem formarum sublunarium.

Secundo, Appetitus innatus, cum sit inditus ab Authore naturae, non potest esse inordinatus: Sed inordinatus esset, si quando habet perfectionem superiorem (ut in proposito substantiam divinam) conaretur, & per modum actus secundi privari vellet tali perfectione, ut inferiorem seu minorem assequeretur: Ergo &c.

Potest etiam suaderi conclusio ex duplici absurdo seu inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia. Si enim humanitas Christi naturaliter appeteret propriam substantiam, etiam appeteret naturaliter separationem suam a Verbo, quandoquidem eam habere non posset, nisi dimitteretur a Verbo, cum personalitas increata & creata simul eandem naturam terminare nequeant, ut art. 4. ostensum est. Sicut si lapis naturaliter appeteret locum deorsum, necessario etiam & naturaliter appeteret recedere a loco sursum, eo quod simul in centro & in loco sursum existere nequeat. Item humanitas Christi pateretur violentiam in Verbo, quia privaretur illo quod naturaliter appeteret; appetitus autem naturalis frustratus, violentiam patitur.

110. Nec obstat quod ait Vazquez, violentum solum esse illud quod est contra naturalem inclinationem activam: humanitas autem solum passiva, non vero activa se habere ad propriam substantiam. Non valet, inquam, tum quia falsum est, humanitatem solum passivam se habere ad propriam substantiam, quia naturaliter dimanaret substantia ab humanitate, si dimitteretur a Verbo; resultantia vero, seu dimanatio, quaedam species actionis est, & ad causalitatem efficientem reducitur. Tum etiam, quia sufficit passiva inclinatio & appetitus ad aliquid, ut pariat violentiam, si frustratur, sicut ostendimus in Tractatu de voluntario & involuntario.

Disp. 1.
art. 4.
notabilis
4

§. II.

Solvuntur objectiones.

111. Obijciens primum: Appetitus naturalis seu innatus, non est aliquis actus vel effectus ab aliqua potentia dimanans seu procedens, sed praecise ipsa potentia, ut habet proportionem & convenientiam cum altero, & ut est capax perfectionis sibi debita & connaturalis: At Christi humanitas, quamvis consecuta sit altiori personam

nalitatem, manet tamen cum naturali capacitate & potentia habendi suam propriam personalitatem, veluti suum connaturale bonum, ac perfectionem sibi debitam; unde si dimitteretur a Verbo, statim propria & connaturalis substantia per naturalem dimanationem ex ea resisteret: Ergo Christi humanitas, etiam ut unita Verbo, & increata ac infinita substantia ipsius terminata, habet appetitum naturalem seu innatum ad propriam substantiam & personalitatem.

122. Respondeo distinguendo Majorem: Appetitus naturalis seu innatus, in actu primo consideratus, nihil aliud est quam potentia ut habet proportionem & convenientiam cum altero &c. concedo Majorem. Appetitus innatus per modum actus secundi, nego Majorem: ad illum enim non solum requiritur proportio, seu convenientia cum altero, sive capacitas alicujus perfectionis connaturalis, sed insuper exigitur quod talis actus, seu perfectio, neque in se, neque in aliquo eminentiori prae habeatur. Unde major rursus sic distingui potest: Appetitus innatus est capacitas debita perfectionis, quae natura actu caret tam in se quam in alio quod suppleat perfectiori modo defectum illius, concedo Majorem. Est capacitas debita perfectionis, quae natura actu caret in se, habet tamen in alio quod suppleat perfectiori modo defectum illius, nego Majorem. Similiter distingo Minorem. In humanitate Christi est naturalis capacitas ad propriam personalitatem, cum carentia illius, tam in se, quam in alio superiori, suppleante defectum illius, nego Minorem. Cum carentia illius in se, non tamen in superiori, suppleante defectum ipsius, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Solutio patet ex supra dictis.

123. Obijciens secundo: Anima rationalis est perfectissima forma quam potest habere materia sublunaris, & eminenter continet omnes formas inferiores, & nihilominus materia prima, prout illa informata, retinet appetitum innatum ad alias formas corruptibiles & inferiores. Intellectus etiam videns Deum ut in se est, adhuc appetit effectibus illum cognoscere connaturali modo. Similiter accidens perfectiori modo existit separatum, quam inherens, & tamen appetit inherentiam quando separatum est: Ergo pariter humanitas Christi, licet perfectiori modo subsistat in Verbo, quam in seipsa, nihilominus ut terminata Verbi personalitate, retinet appetitum innatum ad propriam substantiam.

124. Respondeo ad primum exemplum, negando paritatem: In primis enim, licet anima rationalis sit perfectior aliis formis rerum corruptibilium, & eas eminenter contineat, eminentia quadam imperfecta, & quoad communes gradus essendi, & vivendi, non tamen eas continet eminenter, eminentia perfecta, & quoad specificas & individuales illarum rationes, quia non est infinita perfectionis, sicut Persona Divina. Deinde, dato quod anima rationalis contineret omnem perfectionem formarum inferiorum in essendo, non tamen eam continet informando, quia amissibiliter actuatur materiam. Personalitas vero Verbi Divini, continet eminenter totam perfectionem personalitatis propriae humanitatis Christi, non solum in essendo, sed etiam in terminando, quia terminat illam inamissibiliter, & per unionem indissolubilem, ac aeternitate mensuram.

125. Aliud exemplum de cognitione Dei per creaturas, non est ad rem, tum quia Beati Deum in

seipso immediatè contemplantes, non apperunt ipsum cognoscere ex effectibus ab ipso productis, juxta illud Bernardi lib. 2. de considerat. cap. 2. *Creatura celi non indiget scalâ creaturarum ut ascendat in celum, sicut creatura mundi; quid enim opus scalâ tenenti solum? Videt Verbum, & in verbo facta per Verbum.* Tum etiam quia cognitio Dei per creaturas non est impossibilis cum visione Dei ut est in se, neque excludit illam; sicut subsistentia Verbi est incompatibilis cum subsistentia propria humanitatis Christi, & illam expellit, vel ejus resultantiam impedit.

126. Similiter aliud exemplum de accidente separato non urget, quia accidens separatum non accipit aliquam formam continentem perfectionem inhzrentiæ, sed solum suspendit Deus inhzrentiam ad subiectum, supplendo concursum ipsius; unde per hoc non tollitur quin appetat inhzrentiam; sicut anima separata appetit conjunctionem ad corpus, neque ipsâ separatione satiatur. Christi verò humanitas, propriâ subsistentiâ carens, & ab illa separata, elevatur ad subsistentiam Verbi, eminenter continentem, tam in essendo, quam in terminando, totam perfectionem personalitatis propriæ, ut antea declaravimus.

127. Objicies tertio: In illud aliquid inclinatur naturaliter, à quo ex sola subtractione impediens, sine nova actione profuit, ut patet in gravibus & levibus, quæ naturaliter inclinantur in suos motus ad quos tendunt, subtracto impedimento: Sed in humanitate Christi, si dimitteretur à Verbo, naturaliter profueret propria subsistentia: Ergo naturaliter inclinatur ad illam.

128. Respondeo quod licet ea quæ sublato impedimento dimanant ab aliqua natura, in ea supponant naturalem inclinationem, seu appetitum in actu primo, hæc tamen naturalis inclinatio, seu appetitus innatus, non prorumpit in actum secundum, nec actu appetit illum terminum, quando possidet alium eminenter continentem quidquid est perfectionis in illo, ut patet exemplis supra adductis. Unde licet humanitas Christi habeat in se sufficiens principium, ut moveatur ad propriam subsistentiam, si dimittatur à Verbo; modò tamen defacto ad illam non movetur, nec tendit aut inclinatur actualiter, sed omnino quiescit in divina, per quam perfecte satiatur.

129. Dices, Natura humana se habet appetitum innatum ad propriam personalitatem, & quatenus est terminus complens ipsam naturam, & quatenus est forma quædam, seu modus ipsam informans: Sed divina personalitas supplet quidem vicem personalitatis creatæ, prout est terminus, non tamen prout est forma, vel modus: Ergo appetitus naturalis ad propriam personalitatem, non satiatur plenè & perfecte per subsistentiam increatam Verbi Divini.

130. Respondeo, quod humanitas per se primò appetit propriam personalitatem, in quantum est terminus complens ipsam; sed quia personalitas creata, ob suam imperfectionem, non potest esse terminus complens naturam, nisi informando, consequenter & secundariò appetit illam, in quantum est modus & forma. Cum ergo personalitas Verbi Divini, ob suam infinitatem & eminentiam, terminet humanitatem Christi, eamque compleat absque hac imperfectione formæ & modi, per illam perfectissimè satiatur inclinatio naturalis quam habet humanitas secundum se ad propriam personalitatem, in quantum est terminus, & modus illius. Sicut si quis appeteret me-

A dicinam solum propter sanitatem, & illi absque tali medicina per miraculum concederetur sanitas; non solum satiaretur in illo appetitus sanitatis, quæ per se erat intenta, sed etiam appetitus medicinæ, quæ non erat volita nisi propter sanitatem.

ARTICVLVS II.

An Verbum Divinum, ad suam subsistentiam, sanguinem, aliosque humores Corporis Christi assumpserit?

§. I.

Quibusdam præmissis, referuntur sententia.

Supponendum est primò, quod cum Christus sit perfectus homo & perfectus Deus, ut in Symbolo Athanasij Ecclesia proficitur, omnia quæ ad integritatem & perfectionem humani corporis pertinent, à Verbo assumpta sunt; ac proinde certissimum est, carnem, ossa, & omnes partes organicas & integrantes corporis Christi, ad Divini Verbi subsistentiam fuisse assumptas; unde difficultas solum est de sanguine, aliisque humoribus ad consistentiam partium illarum, & ad vitam animalis conservandam necessariis; de spiritibus vitalibus, & animalibus, de lachrymis, sudore, saliva, & aliis excrementis, & tandem de dentibus, capillis, & unguibus, de quibus omnibus breviter hæc dicendum est.

Supponendum secundò, in corpore humano duplicem sanguinem distingui, alterum nutrimentalem tantummodo, & alterum naturalem. Nutritionalis solum, est humor quidam sanguineus parùm decoctus & depuratus, qui veram sanguinis naturam nondum habet, quamvis in colore & aliis accidentalibus sit ei similis. Talis est qui proximè ex alimento aut ex chilo generatur, vel in hepate, vel in venis ducentibus ad hepar, quas Medici *Mesaraïcas* appellant; & hunc sanguinem sudasse aliquos refert Philosophus in libro de historia animalium. Sanguis verò naturalis est ille qui fit ex priori, per majorem decoctionem & elaborationem virtutis efformativæ sanguinis, residentis juxta Galenum in hepate, vel juxta Aristotelem, in corde, subindeque longè purior evadit, & consequenter veram formam substantialem sanguinis acquirit. Dicitur autem naturalis, quia licet ad totum animal alendum aliquo modo deserviat, tamen hoc munus non est ei adæquatum, sed ultra illud habet quod sit de integritate naturæ animalis.

Scio plerisque Recentiores extra Scholam D. Thomæ, non admittere illam sanguinis distinctionem. Verum, præterquam quod D. Thomas quodlib. 5. art. 5. eam admittit expressè, ratio insuper illam suadet. Sive enim verus sanguis fiat in hepate (ut docent Medici) sive solum in corde (ut cum Aristotele asserunt Philosophi) certissimum est, saltem chilum in venis mesaraïcis attractum, antequam recipiatur in hepate, nonnullam habere sanguinis similitudinem, & tamen nondum ejus speciem & formam substantialem esse assecutum, subindeque nondum esse sanguinem naturalem, sed tantum nutrimentalem.

Nec obstant quæ Authores prædicti adversus doctrinam hanc objiciunt, nimirum hoc quod est unum sanguinem esse puriorem altero, 131

non essentiali, sed accidentalem duntaxat distinctionem arguere; atque adeo illum quem vocamus purè nutrimentalem, esse verum sanguinem, & tam benè de integritate animalis, quam alium. Hæc, inquam, non obstant, quia sanguis naturalis non habet utrumque maiorem puritatem supra nutrimentalem, sed puritatem substantialem, causatam ex fortissima quadam concoctione, substantialiter ipsum transmutante.

135. Supponendum tertio, celebrem esse inter Philosophos & Medicos controversiam, an sanguis sit animatus, formâ vitali totius, aut diversâ, quæ vitalis non sit, informatus? Medici enim existimant illum non esse animatum, seu formâ vitali totius informatum. Philosophi verò docent sanguinem informari ab anima rationali, non secundum omnem gradum & perfectionem animæ, sed secundum gradum vegetativum. Unde Aristoteles 3. de historia animalium cap. 19. *Palpitat intra venas sanguis animalium omnium, & quando vita servatur, semper vivus animatur & fervet.* Sed quid sit de hac sententia, ut sanguis dicatur hypostaticè unitus Verbo Divino, sufficit quod ad integritatem humanæ naturæ pertineat, ut patebit ex infra dicendis. His positis.

136. Circa propositam difficultatem varia sunt Authorum placita, Durandus enim in 4. dist. 10. quæst. 1. negat ullum prorsus sanguinem à Verbo fuisse assumptum. Suarez verò è contra, Vazquez, & alij Recentiores, docent omnem sanguinem qui fuit in Christo, dum in corpore mortali viveret, fuisse subsistentem subsistentiæ Verbi Divini; non enim admittunt distinctionem illam sanguinis in nutrimentalem & naturalem, quam tradit D. Thomas quodlibeto citato. Thomistæ verò cum S. Doctore distinctionem illam sanguinis in nutrimentalem & naturalem agnoscunt, istum asserunt à Verbo fuisse assumptum, non verò illum.

§. II.

Hac sententia ut verior & probabilior eligitur.

Dico igitur: Sanguis corporis Christi, non quidem purè nutrimentalis, sed naturalis, hypostaticè Verbo Divino unitus est, sive ad ejus subsistentiam assumptus.

137. Prima pars conclusionis probatur: Illa duntaxat in corpore Christi, hypostaticè Verbo Divino unita sunt, sive ad ejus subsistentiam assumpta, quæ sunt de integritate substantiâ humanæ naturæ: Sed sanguis purè nutrimentalis, non est de integritate substantiâ humanæ naturæ: Ergo nec ad subsistentiam Verbi Divini assumptus fuit. Major est certa, si enim ut aliquid dicatur unitum hypostaticè, sufficiat (ut docent aliqui Recentiores) illud fuisse necessarium ad conservandam vitam corporis Christi, sequitur purum alimentum, antequam converteretur in partes talis corporis, hypostaticè Verbo Divino fuisse unitum, idque inutiliter; ad quid enim unio hypostatica cū Verbo Divino rei statim corrumpendæ? Minor verò probatur. Quod non est actu, sed tantum in potentia, pars humanitatis, non est de integritate substantiâ illius, ut constat: Sed sanguis purè nutrimentalis, non est actu, sed tantum in potentia, pars humanitatis; est enim purum alimentum, ut patet ex dictis in 2. suppositione: Ergo non est de integritate substantiâ humanæ naturæ.

138. Secunda pars conclusionis probatur primò ex SS. Patribus: Cyrillus enim in Epistola quæ lecta

Tom. IV.

fuit & approbata in Concilio Calcedonen si actione 1. dictum illud Ioannis, *Verbum caro factum est*, sic interpretatur, *Carnem & sanguinem assumptum*. Et Clemens V I. extra *Unigenitus*, de poenitentis & remissionibus, asserit unam guttam sanguinis Christi, propter unionem ad Verbum, habuisse valorem infinitum, subindeque fuisse sufficiens pretium nostræ redemptionis.

Confirmatur ex locis Scripturæ in quibus redemptionis tribuitur sanguini Christi ut pretio condigno: 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati.* 1. Ioan. 1. *Sanguis Jesu Christi Filij ejus, emundat nos ab omni peccato.* & Apocal. 7. dicuntur Sancti dealbasse stolas suas in sanguine Agni. Denique insignis est locus Apostoli ad Hebræos 2. sic dicentis: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Ubi æqualiter loquitur Paulus de participatione carnis & de participatione sanguinis: Ergo sicut caro Christi fuit hypostaticè unita Verbo, ita & ejus sanguis. Unde nullus ferè est Theologus, qui opinionem Durandi, ut erroneam, vel saltem ut temerariam, non damnet.

Probat ut secundò eadem pars ratione fundamentalis: Quidquid pertinet ad integritatem corporis humani, assumptum est ad subsistentiam à Verbo: Sed aliquis sanguis, nempe qui simpliciter est talis, sive naturalis, pertinet ad integritatem humani corporis: Ergo Verbum Divinum illum ad subsistentiam suam assumpsit. Major est certa, Verbum enim Divinum assumpsit ad suam subsistentiam corpus humanum, non mutilum, sed integrum, alias non esset verus & integer homo, quod est hæreticum. Minor verò (præterquam quod est D. Thomas infra quæst. 54. art. 2. & Aristotelis 2. de partibus animalium cap. 2. & 1. de historia animalium cap. 1. nec non lib. 3. cap. 2. ubi refert sanguinem inter partes similes) probari potest insuper: Primò quia sicut elementa sunt actu partes magni universi, & ad ejus integritatem pertinent: ita quatuor humores, subindeque sanguis, sunt partes corporis hominis, qui est mundus quidam minor, cū sanguis sit humidus & calidus, sicut ær; pituita frigida & humida, sicut aqua; flava bilis, seu cholera, calida simul & arida, sicut ignis; atra deniq; bilis, seu melancholia, frigescat & areseat sicut terra.

Secundò, Sanguis aliquis, videlicet purior & subtilior, est organum atque instrumentum naturale quo mediante anima exercet in corpore plures operationes vitales, ut patet in motibus iræ, timoris, & gaudij: irascimur enim, quando prædictus sanguis fervet; timemus, dum contrahitur; & gaudemus, cū diffunditur, propter quod Aristoteles 5. de generat. animal. cap. ultimo ait, spiritum animale (qui nihil aliud est quàm sanguis purior & subtilior) sic se habere in rebus à natura institutis, ut in arte fabrilis malleus & incus: Ergo sicut alia omnia organa corporis humani pertinent ad ipsius integritatem, ita & sanguis purus & subtilis.

Tertio, Sanguis in corporibus hominum resurrectururus est, ut docent communiter Theologi & SS. Patres: Sed nullam aliam ob rationem id fieri, nisi quia sanguis ille est de integritate corporis humani; non enim hoc accideret, eo quod sit necessarius ad nutritionem, cū, teste Apostolo, corpus humanum resurrecturum, futurum sit spiritale, non animale, subindeque nutritionis nullo modo indigum. Unde idem Paulus 1. ad Corinth. 6. *Esca ventri, & venter escis: Deus autem*

Vuu

rem hunc & has destruet. Id est post resurrectionem, nullus erit clesarum & ciborum usus, nullum ventris in illis dirigendis officium: Ergo &c.

143. Quartò, Tridentinum sess. 13. cap. 3. ait, *Corpus Christi esse sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, & animam sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantia, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexerunt, non amplius morituri, inter se copulantur.* Quibus verbis Concilium clarè supponit, sanguinem esse partem humanitatis, & connecti tantam partem corpori.

144. Denique suaderi potest eadem pars conclusionis, ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex Durandi sententia: Si enim sanguis non fuit hypostaticè unitus Verbo, sive ad ejus subsistentiam assumptus, sequitur Verbum Divinum non esse per concomitantiam sub speciebus vini in Eucharistia, sicut est sub speciebus panis: Sed hoc est contra communem Theologorum sententiam, imò & contra definitionem Tridentini citati: Ergo &c. Sequela probatur: Illa dicuntur esse per concomitantiam in sacramento, quæ realiter & substantialiter conjunguntur cum termino primario conversionis sacramentalis: Atqui si Verbum non assumpsit sanguinem, non conjungitur termino primario conversionis substantiæ vini, scilicet sanguini: Ergo non est, etiam per concomitantiam, sub speciebus vini. Unde si Apostoli in triduo mortis Christi consecrassent, nullo planè modo juxta Durandi sententiam, ibi fuisset Verbum Divinum.

Addo quod, si sanguis non esset unitus Verbo, non posset propriè dici de vino consecrato, quod sit sanguis Christi, nec talis consecrationis, verè à Christo diceretur *Calix sanguinis mei*; nam ly *mei*, & *Christi*, appellant supra suppositum: At hæc non solum falsa, sed etiam à fide prorsus aliena sunt: Ergo &c.

§. III.

Solvuntur objectiones.

145. **O**bjicies primò: Verbum Divinum ea tantum assumpsit quæ sunt de integritate corporis humani: At sanguis, quicumque ille sit, non pertinet ad integritatem humani corporis: Ergo non fuit assumptus à Verbo. Major patet ex supra dictis, Minor verò probatur multipliciter. In primis enim quod non est actu, sed tantum in potentia, pars corporis humani, non pertinet ad ejus integritatem, ut constat; alias enim cibus in stomachum trajectus, etiam antequam verteretur in sanguinem, dici posset integrare corpus humanum: Sed sanguis, etiam ille quem naturalem dicimus, non est actu, sed tantum in potentia, pars humani corporis, quandoquidem deservit nutritioni carnis, & aliarum partium solidarum: Ergo non pertinet ad integritatem corporis humani.

Secundò, Absurdum videtur dicere, quod animal ex suis partibus nutriatur: Id autem sequeretur, si sanguis, etiam ille qui perfectam decoctionem est jam assecutus, esset pars integrans corpus animalis; quandoquidem inservit, ut jam dixi, nutritioni aliarum partium: Ergo &c.

Tertiò, Sanguis quilibet est discontinuus à reliquis partibus, sicut enim aqua decurrens, propter suam fluxibilitatem, nequit continuari cum terra, quæ est inflexibilis; ita cum sanguis sit fluxibilis, aliæ verò partes corporis nullo modo fluxibiles, cum eis continuari non potest, subindeque

A nec habere cum ipsis rationem partis integrantis corpus humanum.

Quartò, Si sanguis sit de integritate corporis humani, sequitur ipsum contineri in Eucharistia sub speciebus panis, ex vi verborum consecrationis, & non solum per concomitantiam: Sed hoc non potest admitti: Ergo nec illud. Sequela Majoris manifesta videtur, ex vi siquidem verborum est in Eucharistia integrum corpus Christi, atque adeo omnis ejus pars. Minor etiam est certa, cum Tridentinum loco supra citato asserat sanguinem existere sub speciebus panis, solum per concomitantiam.

146. Verum hæc parum urgent, & nimis levia sunt, ut à communi Theologorum sententia discedere cogant. Unde respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus primam probationem dico, quod sicut elementa in mundo majori, quamvis sint partes tantum in potentia, & materia transiens respectu mixtorum, non propterea tamen desinunt esse partes in actu, respectu ipsius universi: ita in mundo minori, scilicet corpore humano, licet sanguis perfectus, qui est unum veluti ex ipsius elementis, comparatus cum aliis partibus perfectioribus quarum nutritioni inservit, sic tantum pars in potentia, respectu tamen totius corporis, dicitur pars in actu. Et ratio hujus est, quia cum sit quid medium inter cibum & carnem, debet participare naturam utriusque, medium enim participat de utroque extremo, subindeque habere simul, quamvis respectu diverforum, rationem partis in actu, & rationem partis solum in potentia. Solutio est D. Thomæ in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3. ubi pulchram illam proportionem quæ est inter elementa ad mundum comparata, & sanguinem collatum cum animali, luculenter expendit.

Ex hoc patet responsio ad secundam, licet enim absurdum sit dicere animal nutriri ex suis partibus, quæ ita sunt partes in actu, ut non habeant insuper rationem partis in potentia, sive alimentis; quales sunt caro, nervi, & ossa; possumus tamen absque absurditate dicere, hominem nutriri aliquâ parte sui corporis, quæ non ita est pars in actu, quin simul habeat rationem partis in potentia, sive alimentis, qualis est sanguis, etiam purissimus.

Ad tertium dicendum quod licet sanguis non continuetur immediatè cum omnibus partibus corporis (in quo sensu intelligenda est propositio Aristotelis 2. de partibus animalium cap. 3. *Sanguis non est continuus carni*) benè tamen mediatè, habet enim quasdam partes crassiores, quas Medici *fibræ* vocant, quæ continuantur venis, & venæ carni.

Ad quartum, nego sequelam Majoris, & ad probationem ei subjunctam dico, ex vi verborum consecrationis panis, poni sub ejus speciebus corpus Christi cum omnibus suis partibus solidis, non verò cum fluidis, qualis est sanguis, & alij humores: verba enim consecrationis panis, non utcumque significant corpus Christi, sed per modum cibi, cui aptæ quidem sunt partes solidæ, non verò fluidæ, subindeque nec sanguis.

147. **O**bjicies secundò: Si Verbum Divinum assumpsit sanguinem, sequitur Deum posse denominari sanguinem, sicut denominatur homo, ex hoc quod assumpsit humanam naturam: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud.

148. Respondeo negando sequelam, quia cum sanguis non sit natura completa & totalis, sed incompleta, & ordinata ex sua natura ad aliam, inde

DE NATURA ASSUMPTIBILI ET ASSUMPTA. 523

fit quod et si fuerit assumptus à Verbo, Verbum tamen non possit denominari sanguis: sicut etiam ob eandem rationem, licet Verbum Divinum in triduo manserit unitum animæ & corpori separatis, non tamen propterea poterat denominari anima vel corpus, quia huiusmodi naturæ sunt incompletæ, & essentialiter ordinatæ ad complementum alterius, à quibus proinde Verbum Divinum denominationem non fortitur.

§. IV.

Aliud difficile argumentum solvitur.

149. **O**bjicies tertio: Quod Filius Dei semel assumptus, nunquam dimisit, ut habet commune Theologorum axioma, ex Damasceno desumptum: Sed Verbum Divinum aliquando dimisit sanguinem: Ergo nunquam illum assumptus. Minor probatur: Multum sanguinis sui in passione fusi reliquit Christus in terris ad consolationem fidelium: Sed talis sanguis in terris existens, non remanet hypostaticè unitus Verbo Divino: Ergo Verbum aliquando sanguinem dimisit. Minor est certa, ut constabit ex infra dicendis. Major verò patet ex Bulla Pij II. ad Abbatem S. Mariæ Xantonensis diocesis, quam vidisse se ait Sylvester in Rosa aurea Tract. 3. quæst. 31. ubi Pontifex dicit veritati fidei non repugnare, asserere Redemptorem nostrum de sanguine in cruce effuso, ob ipsius passionis memoriam, partem aliquam in terris reliquisse. Accedunt narrationes innumeræ, quæ falsitatis omnes damnari ab homine cordato non possunt; & tamen ex iis superesse aliquam sanguinis à Christo fusi portionem (sub alia tamen quàm sanguinis forma) fit extra dubium. Ejusmodi est quod rubor in plerisque instrumentis passionis Dominicæ adhuc cernitur. Qui rubor non est nudus color ex sanguinis asperione relictus (nam qualitates secundæ non propagantur eo modo) sed vera sanguinis substantia, quæ primum instrumentis illis adhæsit, eisque affixa perseverat. Ut de spina facelli Regij Parisiensis, & de ferro lanceæ, olim Nurembergæ, nunc Romæ asservato; & de sacra sindone Taurinensi, ac vultu sancto Romano, sive linteo Veronicæ, referunt multi Scriptores. Et specialiter quoad sindonem Taurinensem declaravit Julius II. ruborem qui in ea nunc cernitur, esse reliquias sanguinis fusi; idemque de Veronicæ sudario habent qui de eo agunt, præsertim Bzovius anno 216. à num. 16. Favet etiam Nicephorus lib. 1. historiarum cap. 30. in fine, ubi dicit sanguinem & aquam ex latere Christi profusa, in vasculo quodam à Virgine & S. Joanne excepta & conservata fuisse. Sylvester etiam Tract. 1. Rosæ aureæ, ad Evangelium feræ 5. infra octavam Paschæ, scribit B. Mariam Magdalenam detulisse apud S. Maximinum ampullam vitream, in qua continentur quædam particule sanguinis Christi cum terra mixti, quas illa collegerat tempore passionis Christi, additque ebullientem in ea cerni sanguinem in die Parasceves, toto tempore quo legitur passio Christi; quod se vidisse testantur plerique Patribus nostris, qui in insigni & Regio conventu San. Maximinensi (in quo ampulla illa magna cum religione servatur) commorati sunt, nobisque fuerunt conversari. Platina etiam in vita Leonis II. refert Pontificem illum profectum Mantuam ad visendum Christi sanguinem, qui tunc ob assidua miracula in magna veneratione erat, reque examinata, sanguinem illum ap-

Tom. IV.

probasse; estque his temporibus tam certum, hunc sanguinem ex Christi corpore fluxisse tempore passionis ejus, ut Baronius ad annum 804. dixerit de hoc non esse amplius dubitandum. Tandem lib. 6. revelationum D. Birgitæ, B. Virgo his verbis eam alloquitur: *Cum tempus vocationis meæ instaret de hoc mundo, ego ipsam (scilicet præputij) sacram membranam commendavi S. Joanni custodi meo, cum sanguine illo benedicto qui remansit in vulneribus ejus, quando deposuimus de cruce &c.* Non potest ergo revocari in dubium, quin multe particule sanguinis Christi in passione fusi, extiterint, & adhuc extent in terris, ad consolationem fidelium, & ipsius passionis memoriam.

Respondet Valentia hæc disp. 1. quæst. 5. puncto 1. ad 3. has sanguinis particulas adhuc esse unitas Verbo, ac per consequens illud nunquam dimisisse quod semel assumptus.

Sed hæc solutio est singularis, & omnino improbabilis; omnes enim Theologi negant sanguinem illum, si quis reperitur in terris, habere jam unionem hypostaticam cum Verbo. Et ratio est, quia illa pars remanens in terris jam non habet amplius ordinem ad humanitatem Christi, ut iterum sit pars ejus: non est ergo cur retineat adhuc unionem cum Verbo. Deinde, si illa pars eo quod aliquando habuerit unionem cum Verbo, deberet illam retinere, sequeretur carnem præputij Christi, si apud nos adhuc conservatur, non amisisse unionem ad Verbum; sequeretur etiam omnes partes materiæ, quæ aliquando in Christo unitæ fuerunt Verbo, & postea resolutæ ac deperditæ sunt per sudorem & continuam actionem & repassionem caloris naturalis, debere adhuc manere unitas Verbo, quod nemo docet. Idem deberet dici de pilis, si aliqui ceciderunt per totam vitam ex capite vel corpore Christi; & de dentibus, si (ut alij infantes solent) eos mutavit in infantia vel pueritia. Demum ex hac solutione & doctrina Valentia, sequitur aliquam naturam hypostaticè unitam Verbo, esse adhuc in terris, & alibi quàm in cælo, & Eucharistia, quod non est concedendum.

Respondent secundò plures ex nostris Thomistis, cum S. Doctore infra quæst. 54. art. 2. ad 3. illum sanguinem qui in pluribus Ecclesiis asservatur, esse sanguinem imaginis Christi, quæ à Judæis Beryti in Syria crucifixæ, plurimum sanguinis dedit, qui ad varias Ecclesias deinde transmissus fuit, ut habet Martyrologium Romanum 9. Novembris, & latè Baronius anno Christi 765. qui similia de alijs imaginibus transfixis & sanguinantibus refert anno 446. & 560. Tribuiturque hæc responsio S. Athanasio in libello de passione imaginis Dominicæ cap. 7. ubi post narratum Berytense miraculum, subduntur hæc verba: *Hæc est vera & vehementer credulatio, de cruore lateris Domini nostri Salvatoris, qui profluxit de sancta imagine ejus, qua crucifixæ est in Syria, in Beryto civitate. Hic est sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec aliter estimandum est à verè Catholicis, præter id quod scribitur à nobis: quasi ex carne & sanguine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi illud quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur.*

Verum hæc solutio non potest applicari illis particulis sanguinis Christi, quæ asservantur in ampulla vitrea B. Mariæ Magdalene, cum illæ tempore passionis Christi, collectæ fuerint; nec

Vuu ij

illis etiam quæ Mantuæ videntur, nam sanguinem illum non fuisse ex imagine Berytensi collectum, declaravit Leo III. ut habent Baronius anno 804. & Bellarminus lib. de Scripturis in Athanasio. Non potest etiam adaptari hæc responsio sanguini, qui in sacra sindone Taurinensi, in Veronice sudario, in spina facelli Regij Parisiensis, & ferro lanceæ Romæ asservato, aliisque instrumentis passionis Dominicæ adhuc cernitur. Unde D. Thomas quodlib. 5. art. 5. sic ait: *Sanguis autem Christi qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, dicitur ex quadam imagine Christi percussæ miraculose fluxisse, vel etiam alias ex corpore Christi.* Quibus ultimis verbis innuit, remanere in terris sanguinem qui verè è corpore Christi manavit, & non tantum illum qui ex imagine illa miraculosa fluxit. Quod verissimum puto, sive author prædictæ narrationis, & libri illius de passione imaginis Dominicæ, fuerit magnus Athanasius, ut communiter creditum est, & refert Surius ad 9. Novembris, nec ineffaciter confirmat ex nostris P. Franciscus Combefisius, in notis ad miraculum imaginis Christi, Constantino poli in puteum missæ: sive alius quidam Athanasius junior, ut opinatur Baronius ad annum 765. probatque ex eo quod Athanasius Episcopus Alexandrinus, anno Christi 372. mortuus sit, & miraculum Berytense anno 765. contigerit.

353. Respondent tertiò alii ex nostris Thomistis, particulas illas sanguinis, quæ in variis Ecclesiis asservantur, aut in instrumentis Dominicæ passionis cernuntur, non esse partes sanguinis naturalis à Verbo assumpti, sed sanguinis purè nutritivæ, quem à Verbo non fuisse assumptum supra diximus: huic tamen sanguini debet adoratioem latræ, propter contactum sanctissimæ ejus humanitatis: sicut etiam cruci ob eandem rationem idem cultus latræ exhiberi solet.

354. Sed hæc etiam solutio displicet, unde enim constare potest, tot particulas sanguinis, quæ in pluribus Ecclesiis asservantur, & ex variis corporis Christi partibus manarunt, non fuisse nisi ex nutritivæ præsertim sanguinem illum quo Longini lancea perfusa fuit, & qui postea ab ipso Mantuam delatus est; cum enim sanguis ille esset circa cor, qui, juxta Philosophos, est officina sanguinis naturalis, valdè credibile est, illum fuisse naturalem, & non purè nutritivalem. Maximè quia primus sanguis qui videtur egredi de corpore, quando fit divisio, est sanguis nutritivæ: ille verò ex ultimo vulnere quod Christus in cruce recepit egressus est. Addo quod, valde probabile est, tempore passionis, nihil, aut saltem parum sanguinis nutritivæ fuisse in Christo Domino; quia per copiosissimum illum sudorem sanguineum, quem ante passionem habuit, totum ferè sanguinem nutritivalem exsudavit; & si aliquæ illius reliquæ remanserunt, eas tempore illo intermedio inter sudorem & passionem concoxit, & in sanguinem naturalem convertit, ut rectè observavit Cajetanus infra quæst. 54. art. 2.

355. Dicendum ergo est, sanguinem illum Christi, qui Mantuæ, & apud S. Maximinum asservatur, nec non illum qui in sacra sindone Taurinensi, & Bisuntina, in Veronice sudario, in spina facelli Regij Parisiensis, & ferro lanceæ, Romæ, aliisque instrumentis Dominicæ passionis adhuc cernitur, esse naturalem & perfectum, non verò purè nutritivalem & imperfectum; non enim necesse est, omnem sanguinem naturalem à Christo in

A passione fustum, fuisse ab eodem resurgente reasumptum; cum enim tota quantitas sanguinis quem Christus in passione fudit, non esset necessaria ad integritatem & perfectionem humanæ naturæ, in resurrectione tota resumenda non fuit, sed potuit modica aliqua portio illius relinqui in terris, ad consolationem fidelium, & memoriam passionis Christi, ut declaravit Pius II. supra relatus. Eum tamen Christi sanguinem hic ad nostram consolationem relictum, non amplius perflare unitum Verbo, sicut antea fuerat, ut supra contra Valentiam ostensum est, & patet ex doctrina D. Thomæ in 3. dist. 2. quæst. 2. art. 1. assertis ea tantum semel à corpore Christi separata, retinuisse unionem hypostaticam, quæ denud ejus corpori conjungenda erant, eò quod ita necessarium esset ad veritatem humanæ naturæ, ejusque integritatem Christo, redivo vendicandam. Unde tritum illud axioma ex Damasceno desumptum, *quod Filius Dei semel assumpsit, nunquam dimisit*, intelligi debet de partibus integris, ut ex ipso Damasceno aperte colligitur, & non de earum particulis, & maxime de illis quæ non sunt necessariae ad integritatem corporis Christi resurgentis. Eodem modo intelligendus est S. Thomas, dum infra quæst. 54. art. 2. ad 3. docet quod totus sanguis qui de corpore Christi fluxit, in corpore Christi resurrexit; hoc enim verificatur de toto illo sanguine, qui fuit necessarius ad integritatem humanæ naturæ, secus verò de illo qui in statu resurrectionis ad integritatem humanæ naturæ in Christo necessarius non fuit; talem enim sanguinem in corpore Christi non resurrexisset, aperte colligitur ex eodem S. Doctore quodlib. 5. art. 5. ubi asserit sanguinem Christi qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, ex corpore Christi fluxisse: Non ergo juxta illius doctrinam, omnis omnino sanguis qui de corpore Christi fluxit, in corpore Christi resurrexit (quandoquidem aliquid illius remansit in terris, & in quibusdam Ecclesiis ostenditur) sed tantum ille qui ad integritatem humanæ naturæ in Christo resurgente necessarius fuit.

§. V.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis inferes primò, tres alios humores, scilicet pituitam, choleram, & melancholiam, fuisse assumptos à Verbo, eodem propè jure quo sanguinem: pertinent enim ad humanæ naturæ veritatem, seu integritatem, & per se requiruntur ad convenientem statum corporis, magnamque usum habent ad bonum esse, & ad operationes animalis, unde reperiuntur in redivivis beatorum corporibus; imò passim videntur comprehendere nomine sanguinis, quia commiscuntur cum vero & propriè dicto sanguine, & unam totalem massam constant, quæ à principali humore denominatur sanguis.

Inferes secundò, Verbum Divinum assumpsisse etiam spiritus vitales & animales, quia hujusmodi spiritus sunt radij quidam sanguinis purissimi, & maxime defecati, ut docent Philosophi in libris de anima, & pertinent etiam ad integritatem humani corporis, robur enim & firmitatem illi præstant, agileque reddunt ad vitales operationes, & sine illis corpus est valde debile, & quasi exanime, unde Theologi docent illos debere resurgere in corporibus gloriosis; & licet non sint adeo consistentes, sicut sanguis & alij humores, sed brevi eva-

neſcant & corrumpantur, habent tamen ſufficientem conſiſtentiam, ut uniti eſſe poſſint Verbo, quandiu durant.

158. Inferes tertio, lacrymas, ſudorem, ſalivam, & alias ſuperfluitates, & excrementa humani corporis, non fuiſſe hypoſtaticè Verbo unita, quia nec informantur in homine animà rationali, nec ad integritatem humani corporis pertinent, unde non remanebunt in corporibus glorioſis.

159. Inferes quarto, dentes fuiſſe Verbo Divino perſonaliter unitos; illi enim, juxta communem Philoſophorum ſententiam, informantur ab anima rationali, & ad integritatem corporis humani pertinent.

160. Inferes quinto contra Vazquem, etiam ungues, & capillos, fuiſſe hypoſtaticè Verbo unita: Nam illud omne aſſumpſit Verbum Divinum ad ſuam ſubſiſtentiam, quod ad integritatem corporis humani pertinet, tales ſunt ungues & capilli: Primo quia omnes homines cum capillis & unguibus reſtuturi ſunt, ut docent communiter Theologi, poſt D. Hieronymum in cap. 10. Matthæi, Auguſtinum de civit. lib. 22. cap. 19. & in Enchiridione cap. 88. Nulla autem apparet ratio propter quam id fieri debeat, niſi quia pertinent ad integritatem corporis humani.

Secundò, In Sacramento Eucharistiæ ſub ſpeciebus panis continetur corpus Chriſti, cum capillis & unguibus, ut concedit Vazquez, non verò chylus quem in ſtomacho habuit Chriſtus tempore cœnæ, quando panem & vinum in ſuum corpus & ſanguinem ſubſtantialiter convertit. Nulla autem apparet ratio propter quam id fieri debeat, niſi quia chylus non eſt de integritate corporis humani, bene tamen ungues & capilli.

Tertio, Capilli & ungues informantur animà rationali, ſicut oſſa, ut docet expreſſè Divus Thomas in 4. diſt. 44. quaſt. 1. art. 2. quaſtione 2. ad 3. cujus rationem dat, quòd cum capilli & ungues inſtituta ſint à natura ad conſervationem aliarum partium, capitis ſcilicet & manuum ac pedum, ſicut folia ad cooperimentum & conſervationem fructuum; quemadmodum folia in arboribus vivunt, & ab intrinſeco nutriuntur (quod ex organizatione, & venarum diverſitate quæ gaudet, conſtat) ſubindeque informantur animà totius arboris; ita capilli & ungues, propter eandem rationem, debent informari animà rationali in homine, ſaltem ſecundum eſſe vegetativum: Ergo cum anima non informet niſi partes quæ ſunt de integritate corporis viventis, ungues & capilli pertinent ad illam, & conſequenter ad ſubſiſtentiam divinam à Verbo aſſumpti ſunt.

§. VI.

Aliud corollarium notatu dignum.

161. EX dictis etiam colligitur, ſanguinem Chriſti, non ſolum dum erat in corpore Chriſti viventis, ſed etiam in triduo mortis, in quo manſit ſeparatus à corpore, fuiſſe hypoſtaticè unitum Verbo Divino.

Patet hoc corollarium ex Clemente VI. in extravag. *Knigenius* ſuprà citata, ubi loquens de ſanguine Chriſti pro nobis in cruce effuſo, ait unius guttam, propter unionem ad Verbum, fuiſſe ſufficiens pretium noſtræ redemptionis. Refertur etiam in directorio Inquiſitorum 2. part. quaſt. 10. num. 1. quòd cum idem Pontifex informatus fuiſſet per Nicolaum Roſelli, Ordinis

A Prædicatorum, in partibus Aragóniæ & Catalonia Inquiſitorem, quòd quidam Concionator Barcinonæ prædicaverat, ſanguinem Chriſti in paſſione fuſum, non fuiſſe unitum perſonaliter Chriſto in triduo mortis, mandavit per ſuas litteras patentes dicto Inquiſitori, ut talem articulum, ut erroneum, publicè revocari ac ſolemniter damnari præſtaret, quòd & fecit in Eccleſia Cathedrali Barcinonenſi. Cujus damnationis meminerunt etiam Sylveſter in Roſa aurea Tract. 3. quaſt. 31. & Ioannes Dominicus in ſuis quaſtionibus Evangelicis, in die Paſchatis, & alij.

Refert etiam Spondanus Tomo 2. continuationis, ad annum 1462. hoc eodem anno magnam motam eſſe quaſtionem inter Fratres Minores & Prædicatores, de ſanguine Chriſti in triduo paſſionis à corpore ſeparato, utrum divinitati unitus perſeveraverit? Cum enim apud Brixiam Jacobus Marchianus, Ordinis Minorum, die Paſche ſermonem ad populum habens, inter cætera aſſeruiſſet, pretioſum Chriſti ſanguinem, dum triduo illo jacuit in terra ſparſus, indignum fuiſſe latræ cultu, quoniam fuſus, & à corpore Dominico ſeparatus, hypoſtaticam Verbi unionem protinus amiſſiſſet: Hoc audiens Inquiſitor heretica prævitæ, Ordinis Prædicatorum, illico Jacobo præcepit revocare tanquam erronea quæ dixerat, & interim contrariam ſententiam per unum è ſuis prædicari fecit. Creſcente contentione, & ſchiſmate in populo factò, nec valente Epifcopo loci tumultum ſedare, res ad Apoſtolicam Sedem remiſſæ ſunt. Qua de re Pius II. eo tempore ſummus Pontifex, præſentibus Ordinibus mandavit, doctiſſimos eorum Theologos ad Curiam mittere, quos in feſto Natalis Domini audivit diſputantes tribus diebus in palatio Apoſtolicò, præſentibus Cardinalibus, Epifcopis, ac divini & humani juris Doctõribus qui in curia erant. Denique poſt triduum, cum partes quæcumque voluiſſent, in medium produxiſſent, diſſoluto auditorio, Pium cum Cardinalibus, pluriſque diebus rem tractaſſet: majorem partem ſententiam Prædicatorum approbaſſet, paucos cum Minoribus ſenſiſſet: Pium quoque in majori parte fuiſſe, ſed non eſſe viſum eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcos prædicatio neceſſaria, offenderetur, ac propterea in aliud tempus deciſionem referri placuiſſet. Quam tamen nunquam placuit decidere: ſed biennio poſt Anconæ, dum eſſet navigaturus in Turcos, Calendis Auguſti 1464. die ante obitum 15. conſtitutionem edidit, quâ, ad pacem inter illos Ordines, & in univerſa Eccleſia ſuper hac quaſtione conſervandam, ſtatuit nulli licere opinionem negantem ſanguinem Chriſti in triduo paſſionis à corpore ſeparatum, divinitati unitum permaniſſe, ut hereticam proſcribere, donec per Sedem Apoſtolicam quid in huiusmodi quaſtione ſentendum eſſet, definiatur. Hæc Spondanus.


C Verum licet propter huiusmodi Conſtitutionem, non poſſit hæc opinio ut heretica damnari, eſt tamen a Scholis proſus eliminata, & ut ait Suarez, neque pia, neque ſecura eſt. Non videtur etiam rationi conſentanea: Nam ſi fuiſſet in triduo conſecratus calix, vel reliquæ eſſent ſpecies vini conſecrati in cœna, tunc ſub ſpeciebus vini fuiſſet ex vi verborum ſanguis Chriſti, & per concomitantiam divinitas, ſicut nunc de facto contingit, ut docet Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. nam tunc etiam vera fuiſſent verba Chriſti Domini Ioan. 6. *Qui bibit meum ſanguinem, in me manet*. At divinitas non eſt per concomitantiam in ſpe-

ciebus vini, nisi propter unionem ad sanguinem, ut ex eodem Tridentino ibidem colligitur: Ergo sanguis Christi in triduo mortis mansit hypostaticè Verbo Divino unitus.

x64. Confirmatur: Ideo corpus Christi & anima in triduo, adhuc disjuncta inter se, erant unita hypostaticè Verbo Divino, quia erant partes humanitatis ipsius, quam iterum debebant componere in Christo glorioso, ut communiter docent Theologi cum S. Thoma in 3. dist. 2. quæst. 2. art. 1. quæstionum. 3. ad 3. At etiam sanguis in passione fusus, erat pars humanitatis, quam iterum in Christo glorioso debebat componere, cum corpus Christi post resurrectionem deberet esse integrum & perfectum: Ergo sanguis in passione fusus, mansit in triduo Verbo divino hypostaticè unitus.

x65. Ex quo facilè intelliges, cur sanguis Christi in circumcisione fusus non manserit Verbo Divino unitus, benè tamen ille quem in passione effudit; cum enim sanguis in passione fusus, à Christo reassumendus esset in resurrectione, propter integritatem sui corporis, debuit in triduo manere Verbo Divino unitus, sicut propter eandem rationem caro & anima tunc manserunt eadem unita: è contra verò cum sanguis in circumcisione fusus, non fuisset ab ipso reassumendus in resurrectione, utpote ad integritatem sui corporis minimè necessarius, non debuit post separationem à corpore, manere Verbo Divino hypostaticè unitus.

x66. Idem cum proportionem de præputio in circumcisione abscisso dicendum est, nam illud non fuisse unquam postea corpori Christi confertum, ac ne post resurrectionem quidem, constat tum ex revelatione S. Birgittæ, quam supra retulimus, tum ex variis narrationibus quæ de eo præputio, ejusve particula quapiam, certis locis nunc asservata, circumferuntur in sacris historiis: Illud enim Romæ in Basilica Lateranensi, eo loco, quæ vocat *Sancta Sanctorum*, extare scribit Innocentius III. lib. 4. de myst. cap. 20. nihil tamen definire ausus. Gerſo part. 4. serm. in festo Paschæ, ait vulgo referri Christi præputium Parisiis in palatio, & Brugis (nempe per partes) asservari. Rursus Franciscus Costerus meditatione 4. ex 50. quas de vita Deiparæ edidit, testatur urbem Antuerpiensem, priusquam à Geusiis hæreticis anno 1566. occuparetur, hoc thesauro gloriatam esse. Anicenses quoque Christi Domini præputium inter sacras reliquias visendum exhibent, ut scribit Odo Gissæus lib. 1. historiæ Aniciensis cap. 17. Tandem idem Author visa à se scribit per antiqua monumenta Abbatæ Conquensis, in diocesi Ruthenensi, quibus narratur conceditum à Carolo magno ei Abbatæ præputium Christi. Sed quidquid sit de loco ubi sacrum illud pignus asservatur, omnino ex tam multis narrationibus effici videtur, Christi præputium in circumcisione abscissum, nunc in terris retineri: ut enim omnes illæ narrationes rejiciantur tanquam falsæ, nec Christiana modestia finit, nec miracula in huius rei confirmationem divinitus patrata permittunt.



DISPUTATIO X.

De ordine assumptionis.

Ad quæst. 6. Divi Thomæ.

C Onsideratis duobus extremis unionis hypostaticæ, nimirum personâ assumente, & naturâ assumptâ, agit S. Doctor quæst. 6. de modo assumptionis, quantum ad ordinem, seu de ordine quo Verbum Divinum humanitatem & partes ejus assumpsit: Circa quod pauca occurrunt dicenda, quæ sequentibus articulis expediemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum prius fuerint assumptæ partes humanitatis, quam tota humanitas, & anima Christi prius fuerit unita Verbo, quam corpus?

§. I.

Quibusdam præmissis, utraque difficultas resolvitur.

S Vppono primò, non esse quæstionem de prioritare reali durationis, seu temporis, sed solum de prioritare naturæ; nam de fide certum est, animam, corpus, & humanitatem, simul tempore fuisse assumptâ à Verbo, ita ut nec anima prius tempore quam corpus, nec corpus prius quam anima, neque anima & corpus, prius quam humanitas ex illis constans sint assumptâ, sed simul & in eodem instanti in quo fuit producta in Virginis utero Christi humanitas, seu in quo fuit creata anima Christi, & unita carni, unde resultavit ipsa humanitas, fuerunt hæc omnia assumptâ. Quare Concilium 5. generale can. 2. proscrubens errorem Origenis, qui dicebat Christi animam fuisse cum cæteris animabus initio mundi creatam, atque suis operibus meruisse uniri hypostaticè Verbo Dei, illique de facto fuisse unitam, antequam ipsius carni in visceribus B. Virginis conjungeretur, sic ait: *Si quis dicit aut sentit, animam Domini præexistisse, unitamque esse Deo Verbo, ante Incarnationem & natiuitatem ex Virgine, anathema sit.* Eundem errorem impugnat S. Thomas hic art. 3. ex eo quod inde sequeretur quod anima Christi aliquando habuisset propriam substantiam sine Verbo, & sic cum fuisset à Verbo assumptâ, vel non esset facta unio secundum substantiam, vel corrupta esset substantia animæ præexistens, quorum utrumque est inconueniens.

Suppono secundò, esse hîc sermonem de prioritare naturæ secundum ordinem executionis, certum enim & indubitatum est, totam naturam humanam, ordine intentionis, prius naturâ fuisse assumptam, quam partes: Nam ut ait S. Doctor hic art. 5. *Secundum intentionem facientis prius est completum quam incompletum, & per consequens totum quam partes.* Quæ ratio potest sic proponi, & magis illustrari. Ordine intentionis illud fuit prius naturâ assumptum, cujus assumptio fuit per se prius intenta: At primò intenta